

publicæ. & ita practicatum est in hac Curia, me iudice, etsi remissum prius fuerat in alteram aulam. † Quam ob causam cum pater teneatur tamquam si nominatim fideiussisset, prius erunt discutienda bona filij, vt in præsentî statuitur, quoniam etsi generaliter in omnibus fideiussoribus id acceptum sit, vt in voluntate sit creditoris, quem ex reo, vel fideiussore velit conuenire, *l. 3. liure 5. C. de fideiuss.* ante nouam decisionem, *Auth. præsent. C. eodem*, vt docent plures relati ab Osval. *lib. 15. Don. cap. 48. lit. 1. & seq. Gutier. de iuram. confir. 1. part. cap. 23.* † Tamen in nostra specie contrarium admissum est, quia pater non est simpliciter fideiussor, sed fideiussor indemnitis, seu in subsidium (apud nos dicitur *fiador de sacar a pazya saluo*) qui ex natura huiusmodi fideiussionis, non ex beneficio fideiussorum habet exceptionem excussionis, vt non conueniatur ante principalem, quia conditionalis est debitor si principalis non soluerit. *l. si decem 21. D. de solution. l. si vnus 67. D. pro socio. l. cogi 16. §. idem quarit 14. D. ad Trebell. l. decem 116. in fin. D. de verb. oblig. docent in specie Platea hic, & Valenzuel. & in l. 1. supra, de conuen. fisci debitor. Hippolyt. de Marsil. de fideiussor. num. 314. & seq. Hering. in eod. tract. 1. part. cap. 27. ex num. 142. & cap. 4. num. 61. Gutier. de iur. confir. 1. part. cap. 23. ex n. 19. & Gama decis. 380. tota, vbi Florez, etsi numerus sit mendosus apud ipsum. nam est decis. 382. † Itaque quoad ordinem conueniendi inter huiusmodi fideiussiones illud est discrimen quod fideiussor simpliciter acceptus cum purè obligatus est, potest conueniri, etiam non facta excussione, in bonis rei principalis, etiam ante nouum beneficium, *Auth. præsent. C. de fideiussor.* At fideiussor indemnitis cum sit conditionalis debitor, antequam fiat excussio in bonis rei principalis, conditio verificari non potest, atque ita nec conueniri, vt supra laudati auctores scribunt, præcipuè Gutier. *d. cap. 23.* id in quæstione quotidiana obseruans *num. 22. & 23.* & de aliis similibus Aceued. *in l. 1. num. 178. lib. 4. Recop. tit. 21. & Auiles cap. 10. prat. verb. execucion n. 40. vers. Quid in fideiussore.**

9 Qua ratione procedere videtur *l. 1. supra. de conuenien. fisci debitor.* vbi quia fideiussores accepti non simpliciter intercesserint, sed indemnitate repromiserint, non antè conueniuntur, quam principalis excusus sit. quem locum variè contorquent Interpretes *ibi*, triplici explicatione, seu lectura illum ornantes, vt videre est ex Accurs. glos. magna, Bar. Plat. Pyrrho, Cuiac.

& reliquis *ibidem*. Verior visa est Salmanticensibus Antecessoribus tertia expositio antiquorum interpretum, vt *in d. l. 1.* nec de fideiussoribus fisci, nec de possessoribus rerum ei obligatarum loquatur Gordianus Imp. sed de debitorum fiscalium debitoribus, qui non debent conueniri, nisi deficientibus principalibus, iuxta ea quæ adduximus *in l. iustas, supr. de iure fisci,* & probatur *in l. 3. §. multa. D. eod. iuncta l. 4. C. quando fiscus, vel priuat.* & quia videbatur ita fiscus sine priuilegio remanere. † Respondent speciale priuilegium esse, ¹⁰ scilicet vt non compellatur prius debitores proprios conuenire, quàm si debitores suorum debitorum eidem fisco indemnitate repromittant, hoc est, vt suis sumtibus, seu expensis, suoque periculo debitores principales excutiant, vt constat *ibi, repromissa indemnitate.* quam si repromiserint, audiendi sunt dum iustè desiderant, vt prædicta excussio fiat. quemadmodum in specie *l. unde quaritur 7. C. commodat.* Vnde cum *in d. l. 1.* à debitoribus debitoris indemnitas fuerit repromissa, fiscus debet prius debitores principales conuenire, quod non obseruatur in priuato, qui non nisi seruato ordine *legis à Diuo Pio. §. in venditione. D. de re iudic.* debitorem debitoris conuenire potest.

Quæ interpretatio mihi numquam placuit, tum quia nec littera, nec mens Gordiani explicatur, tum etiam, quia *in d. l. 1.* non agitur de aliquo priuilegio fisci quoad debitorum debitores attinet, nec de eo erat quæstio inter eos & fiscum. Rursus quia non audiui debitores debitum fisci debere repromittere indemnitate eidem fisco, ita vt si id non faciant, fiscus nequeat debita sua exigere à principali reo. Quod quàm alienum sit à iure, nemo est qui non videat, cum obligarentur rei debitores ad indemnitate contra suam voluntatem & consensum, quod videbatur iniquissimum.

Quare damnata hac interpretatione, & ¹² alia Cuiacij & Gothofredi, qui de hypotheca nescio quid comminiscuntur, cum de hypotheca nihil Gordianus dixerit. Species *d. l. 1.* ita ponenda est, quemdam contraxisse cum fisco (vt dicitur *ibi, reliqua contraxerunt*) id est, se obligasse pensionibus, quas ob conductionem prædiorum fiscalium debebat, vt *in l. Moschis 47. de iure fisci.* dedisseque hunc principalem reum fideiussorem non simpliciter, sed tantum de indemnitate, vt patet illic, *repromissa indemnitate.* † Rursus ponendum est hunc ¹³ reum prædia vendidisse, emtoresque adhuc pretium debere eidem reo. Cum ergo

fiscus idoneum reum principalem non repererit, debitores sui debitoris reconueniebat, scilicet Saturninum, & alios, qui quædam à reo mercati sunt. Ipsi dicebant prius esse conueniendos fideiussores, qui pro reo indemnitate repromiserant, & cum de hoc quæstio esset, an scilicet Saturninus & alij, an verò fideiussores indemnitate essent conueniendi. Gordianus de hoc consultus ait, Non iniusta ratione desideratis vt prius conueniantur qui reliqua contraxerunt, id est, principalis & fideiussores indemnitate. † Ratio pro fideiussoribus erat quòd ipsi in subsidium accipiuntur, & eo casu quo reus soluendo non est. Atqui si habet debitores reus, non dum videtur euenisse conditio, sub qua acceptus creditur, qui de indemnitate repromittit, & ab ipsis possit debitum exigere, iuxta l. 4. C. quando fiscus, vel priuatus. Huic rationi Saturninus & alij, qui à reo emerant, satisfaciebant indemnitate repromissa à fideiussoribus eos esse prius conueniendos, cum videantur contraxisse simul cum reo, & respectu emtorum, qui numquam fisco se obligauerant, esse reos principales in contractu fiscali, talesque debitores ita esse conueniendos, quando iam constat idoneos non esse principales reos, & iam defecisse, argumento d. l. Mosehis 47. in princ. D. de iure fisc. At certum est fideiussorem indemnitate principalem esse, & ob id inquit Gordianus hanc allegationem non esse iniustam, neque abhorre à iuris dispositione. quæ est vera & germana interpretatio d. l. 1. in qua nugatur profectò Cuiacius cum suis Græcis interpretibus, qui dicebant Saturninum in ea specie indemnitate repromississe, cum potius esset debitor debitoris, qui contra fideiussorem agebat.

15 Verum hæc pro nostræ legis interpretatione & ratione adducta labefactari videntur ex l. 3. §. fin. D. de peculio. vbi cum filius famil. voluntate patris factus esset Decurio, in duumuitatu pupillo tutorem dedit (nam ex corpore Decurionum Duumuii eligi solebant, l. rescripto 6. D. de muner. & hon. l. honores 7. §. is qui. D. h. r. iuncto Panciroli. de magist. municip. cap. 8. Buleng. lib. 7. cap. 7.) nec curauit satisfacere rem publici saluam fore. & cum quæsitum esset quatenus pater teneretur, ait Consultus filium in solidum teneri, patrem verò de peculio tantum, cum tamen in præsentem in solidum teneatur, & in d. l. 2. D. ad municip. cum similibus, & expressius in d. l. 1. C. quod cum eo. ibi, Quòd si voluntate eius filius Decurio sit creatus, & à magistratibus tutor constitu-

tus, pater in solidum satisfacere cogitur. † Cui difficultati satisfacit Ant. Pichard. 16 in d. §. actiones autem, num. 85. & seq. Inst. de action. filium in d. §. fin. fuisse Decurionem sine voluntate patris, qui ea ratione tantum tenetur de peculio. Quod tamen improbat in d. l. 1. §. fin. D. de magistr. conuen. vbi dicitur quòd etsi voluerit pater filium esse Decurionem, nihilominus de peculio tantum tenetur. † Melius rem attigit 17 Cuiac. in eadem l. 3. §. fin. sub lib. 9. quæst. Pap. asserens in ea specie patrem teneri duplici modo, actione de peculio teneri pupillo quòd satisfactionem idoneam non exegerit filius, & in solidum teneri reipublicæ siquid malè gesserit, aut administrauerit, quoniam cum consentit vt filius Decurio fiat, videtur fideiubere rempublicam saluam fore, non rem pupilli, qui est homo priuatus, de quo non cogitabat pater cum voluntatem accommodabat filij creationi, nec aliis quæ possunt emergere ad magistratus curam pertinentia, ad quæ animus patris non se extendit vt obligaretur in solidum erga omnes quibus filius obligaretur, vel per imperitiam, aut negligentiam, argum. l. 1. §. licet 20. D. de executor. action. † Quam interpretationem 18 videtur probare idem Vlpian. in l. 1. §. fin. D. de magistr. conu. vbi arbitratur Ant. Faber in Iurispr. Pap. tit. 12. princ. 8. illat. 45. in medio pag. 1000. loco illorum verborum, quasi rempublicam saluam solam fore, legendum, rem pupilli, quemadmodum in eadem lege prima dicitur, Hi enim rempublicam saluam fore promittunt, non pupilli, taxatque quendam interpretem, qui videtur fuisse Cuiac. lib. 7. obseru. cap. 31. qui addidit dictionem solam, cum sit irreptitia. Quæ traditio mihi numquam arridebit, & miror acutissimum virum, & non minus ingeniosum, non aduertisse lectionem quam confingit, minimè conuenire sententiæ Iuliani, quam ibi laudat Vlpianus, qui dicebat patrem tantum teneri de peculio, eo in casu, quoniam non se obligauit pupillo, sed reipublicæ, cum passus sit Decurionem creari filium. Quomodo ergo attenda lectione Fabriana Vlpiani mens capiatur minimè possum assequi. † Quam 19 lectionem nobiscum damnat Ant. Pichard. in d. §. actiones num. 86. licet non alleget Ant. Fabrum, sed tantum dicat imperitos interpretes illam lectionem amplecti, ex quo arbitror iam ab aliis ante Fabrum fuisse confictam, quem cacoëthes emendandi, & omnes contextus euertendi ita capit, vt plerumque videamus minimè cum Iureconsultorum mente conuenire, vt contingit

git in hac emendatione, quæ de pupillo intelligi nequit, de quo non agebat Consul-
tus, vt ex vera interpretatione constabit.
Neque item assequi possum quando dictio
illa *solam* in contextum irrepserit. nam
apud me quatuor sunt codices, aliosque
diuersæ excusationis euolui, & nullibi vo-
cem illam *solam* lineis interclusam vidi.
20 † Quapropter huius emendationis, imò
nec difficultatis meminit *in Rational.* ad d.
l. 3. §. *fin. de peculio*, sed satis cursim hanc
rem pertractauit, neque illam difficultatem
attigit, quam statim ostendit d. l. 1. C.
quod cum eo. quæ in specie ipsa d. l. 3. §. *fin.*
ait patrem non de peculio, sed in solidum
pupillo teneri. Lex sanè obscura, &, vt Si-
chard. *ibidem* fatetur, nondum intellecta,
cùm sibi inuicem ea responsa aduer-
sentur.

21 Hanc difficultatem tentauit variis in lo-
cis dissoluere Cuiacius, prout ei mos est
eadem pluries repetere, *lib. 13. obseruat.*
cap. 34. & d. lib. 9. quest. Pap. in d. l. 3. §. fin.
& in recitat. ad Cod. in d. l. 1. & lib. vnic. resp.
Marcell. in l. 21. D. de admin. tutor. quem se-
quitur, qui illum semper sequitur, & tran-
scribit, Gothofr. *in d. l. 1.* Aiuntque *in d. l. 1.*
in fin. loqui quando filius factus Decurio
voluntate patris tutor datus est, vt tunc te-
neatur in solidum, quia voluntate patris
videtur tutor datus, sicut si ei iniungatur
aliquod opus ciuile, quo casu ad id patris
voluntate creatus videtur eo ipso quòd
decurionatui filij consensit, ita etiam vide-
tur agnoscere voluntate patris omnia mu-
nera ciuilia quæ postea iniunguntur filio, &
cùm tutela sit munus ciuile, l. 1. §. *fin. de mu-*
ner. cum notatis ab Osval. *lib. 3. Donell.*
cap. 9. lit. A. in solidum tenebitur, quemad-
modum in cæteris muneribus ciuilibus eis-
dem delatis. Quod tamen non procedit *in*
d. l. 3. §. fin. in quo non fuit filius Decurio,
datus tutor, sed Duumuir creatus tutorem
dedit non idoneum.

22 Verùm hæc interpretatio non tollit dif-
ficultatem. nam si ea ratione pater tenetur
in solidum, quia filius Decurio ad omnia
munera ciuilia obligatur, & sic qui con-
sensit decurionatui, videtur consentire cæ-
teris oneribus & muneribus quæ filio in-
iunguntur, multo magis in solidum conue-
niendus erat, quando Duumuir creatus tu-
torem idoneum non acceperit. nam si Im-
peratores in tutela admiserunt obligatio-
nem in solidum, exemplo cæterorum mu-
nerum ciuiliū, qualia sunt honores &
magistratus, l. *ad rem publicam* 8. D. *de mu-*
ner. & hon. & notat Accurs. *in d. l. 1. verb.*
munerum. Cur sicut si in magistratu filius

aliquid egerit minus bene, pater tantum
tenetur de peculio, ita & in tutela non est
admissum? † Rursus quia quòd filius De- 23
curio sit datus tutor, non sequitur patrem
accommodasse consensum tutelæ dationi,
quæ non dependet ex decurionatu, sicut
cætera alia munera ciuilia, vt patet, & sicut
dependebat duumuiratus, qui consequi
non poterat, nisi à Decurionibus, vt dixi
suprà. Neque enim consentiendo in vno,
videtur pater consentire in alio, vt nota-
tur ex l. *voluntaria* 12. C. *de excusat. tut.* &
ideo si pater consensit electioni decuriona-
tus, non videtur ita consentire vt tenea-
tur in aliis actibus longè contrariis. † Qua 24
ratione destruitur quòd Sichard. *in d. l. 1.*
num. 4. & fin. huius difficultatis dissoluen-
dæ causa fingebar, qui opinabatur patrem
teneri in omnibus rebus quæ dependebant
& habebant originem & causam ab officio,
ita, vt si filius non habuisset tale officium,
minimè læsio interueniret. nam constitui,
vel non constitui tutor à magistratibus non
dependet ab electione & assecutione de-
curionatus, quoniam non ob id quòd De-
curio fiat voluntate patris, ipse cauit pu-
pillo.

Quare in tanta difficultate responden- 25
dum existimo quòd *in d. l. 3. §. pro.* pater
cùm pro filio in Decurionem assumpto con-
senserit, & postea magistratus creatus ma-
lè se gesserit circa tutoris constitutionem,
de peculio tantum tenebitur, quia propter
consensum nullo alio modo se obligauit,
nisi tamquam fideiussor. Fideiussor verò
magistratus in his quæ ad reipublicæ ad-
ministrationem pertinent, tenentur, hoc
est, damnis quæ ex re malè per magistra-
tum gesta reipublicæ contigerint, non au-
tem in his quæ culpam, vel delictum con-
tinent. l. *unic. infr. de periculo eorum, qui pro*
magistr. l. 2. §. *sed si filius* 5. l. *libertus* 17.
§. *fin. D. ad municipal. l. fideiussores* 68. D. *de*
fideiussor. quibus adde Hering. *de fideiussor.*
cap. 24. num. 176. Cùm ergo in culpa sit
magistratus qui minus idoneum tutorem
dedit, vel per negligentiam, aut imperi-
tiam. l. 1. & tot. D. *de magistr. conuen. l. fin. D.*
de extraordin. cognit. talem culpam pater
præstare non cogitur, nisi peculiotenus,
quoniam fideiussoria obligatio quæ per
consensum eius ad decurionatum filij con-
tracta est, rempublicam saluam fore promit-
tit, non verò priuati hominis, id est, pu-
pilli. Itaque tales fideiussores cauent de
republica, sed non de pœna, aut multa, in
quam incideret magistratus, aut negligenti-
a, aut culpa sua. d. l. *libertus* 17. §. *fin. d.*
§. *sed si filius, cum alijs.* † Quod omne non 26
procedit

procedit in specie *d.l. 1. C. quod cum eo*. quæ in solidum ait teneri patrem qui filium Decurionem esse voluit, & postea à magistratibus fuit pupillo tutor constitutus. Quoniam ibi consensus patris non solum interuenit in electione decurionatus, verum etiam & in tutelæ constitutione. Sic enim confingenda est species, quam satis littera probat, illis verbis, *Quod si voluntate eius filius Decurio sit creatus, & à magistratibus tutor constitutus.* † Vnde cum consensus interuenerit in utroque casu, nam simul Decurio & tutor fuit constitutus, non immeritò in solidum tenetur pater, cum ad utrumque munus voluntatem accommodauerit, scilicet & ad decurionatum & tutelam. & cum tutela sit munus ciuile, in cuius fideiussione promittitur rem pupilli saluam fore, *l. 1. l. cum pupillus 9. D. rem pupilli salu.* Quemadmodum in fideiussione magistratus rempublicam saluam fore. & sic ad exemplum huius muneris introductum intelligitur & illud tutelæ, in qua venit, ut res pupillis salua sit, non pœna, id est, ut fideiussor tutoris teneatur ad ea, quæ veniunt in actionem tutelæ, quæ rem persequitur, non verò ad ea, quæ veniunt in rationibus distrahendis, quæ est pœnalis, in quam non se obligat, sed in causam rei pupilli seruandæ, ex quo pater in solidum obligatur ex administratione filij, ut in *d. l. 1. C. quod cum eo*. cuius vera videtur hæc interpretatio, in cuius meditatione totum triduum consumpsi.

28 Neque huic sententiæ oberit *d. l. Lucius 21. D. de administr. tut.* vbi actio de peculio, vel de in rem verso aduersus patrem oneri tutelæ filio delato consentientem constituta est, cum tamen & in hac specie in solidum teneri asserat Vlpian. in *l. si filius 7. D. de tutelis*. Nam huic difficultati respondent plures post antiquiores *ibi*, Donnell. *ad rubr. C. quod cum eo*, num. 50. & seq. Hotoman. in *l. 1. C. de remiss. pign.* Pacius cent. 5. *quest. 76.* Ant. Faber in *Iurisp. tit. 12. princ. 1. illat. 16.* Cuiac. *tract. 7. ad African. in l. mandasti 46. D. de negot. gest.* Barbof. in *l. si cum dotem 23. §. transgrediamur, ex n. 8. D. sol. matr.* † Frequentiori calculo admissa est illa interpretatio quæ distinguit inter tutelam testamentariam & datiuam, ut in hac pater in solidum teneatur, ut in *d. l. 7.* in illa verò non nisi de peculio, quo casu loquitur *d. l. 21.* In ratione differentię constituenda non satis conueniunt auctores. nam plures sequentes Bar. doctrinam in *d. §. transgrediamur num. 7.* & alij quos *ibi* laudat Barbofa num. 8. *vers. sed ad illius.* Pyrchus *hic*, & Platea num. 2. & 3. dicunt quòd

quando pater non solum tenetur consentire actui filij, sed etiam pro eo se obligare, tunc remanet pater obligatus ex simplici consensu, ut in *d. l. 7.* vbi pater remanet obligatus, quia non solum tenetur consentire, sed & pro eo se obligare. *l. si quis inter 16. aliàs l. spadonem 15. §. fin. l. fin. §. fin. D. de excusat. tutor.* At verò quando pater tantum tenetur consentire actui filij, non verò pro eo se obligare, tunc consentiendo non obligatur, ut in *d. l. 21.* nisi tantum de peculio, vel de in rem verso, quibus actionibus teneretur, etiamsi non consentiret. §. *præterea, Inst. quod cum eo.* Vnde cum in tutela testamentaria non teneatur pro filio se obligare, si consentiat non obligabitur, nisi actione de peculio; in datiuam verò contra erit, cum pater teneatur se obligare.

Quæ doctrina mihi videtur esse falsa, & ita displicuit Corneo *conf. 256. num. 35. lib. 1.* qui rectè contendit patrem non teneri se obligare pro filio in tutela datiuam, neque aliquo iure id probatur. nam iura quæ pro hac sententia allegant, non sunt diuersa, imò eadem verba in utroque responso repetuntur, & ita absunt à Pandectis Florentinis à dicta *l. fin.* & solum inueniuntur in *d. l. si inter. §. fin.* Rursus, quia si pater teneretur pro filio consentire, semper obligaretur in solidum, neque esset necessaria differentia, utrum agnouerit, vel non agnouerit, ut in *d. l. si filius 7. & in d. l. 1. C. quod cum eo.* vbi in eius voluntate positum est, non in necessitate. † Et fundamento pro Bar. adducto ex *d. l. si inter. §. fin.* satis fieri potest loqui quando pater callidè & dolosè cauere noluit, ut hoc artificio filium eximat à tutela, quo in casu non obligant leges patrem cauere, sed constituunt ut in pœnam suæ fraudis tutor creetur simul cum filio. hoc enim Hadrianus *ibi* constituit. Atque ita si de dolo patris non constet, nemo certè æquum putauerit, ut pro filio cauere teneatur, neque tutelam suscipere, ut rectè docent Ant. Faber in *Iurisp. Pap. tit. 24. princ. 1. illat. 9. §. de filiosam. tutore*, pag. 1146. Cuiac. *ad tit. de excusat. tut. in d. l. 15. in fine.* & ante eos Alber. in *d. §. transgrediamur num. 3.* & Cuman. num. 4. & agnouit *ibidem* Barbofa num. 13. qui variis subterfugiis hanc veritatem obscurare intendit. † Nam verum non est in tutela necesse esse patrem consentire expressè, ut ait num. 12. contra *d. l. si filius 7.* vbi agnouisse tutelam filij videtur pater, qui gerenti filio consensit. quod de expresso consensu intelligi nequit, cum non sit expressus consensus attingere tutelam.

lam. Confert quoque *l. 2. D. ad municip.* ubi consensisse creditur pater in decurionatu filij si non contradixerit. † Neque Barbofa quidquam facit *num. 13.* distinguendo inter decurionatum & tutelam, ut in ea sit necessarius expressus consensus, quia etsi officium sit publicum, est tamen priuatum utilitate, cum tamen decurionatus sit officium publicum auctoritate & utilitate, & ita in hoc, fauore reipublicæ, specialiter introductum est sufficere consensum tacitum, cum expressè probetur contrarium *in d. l. 1. C. quod cum eo.* ubi voluntas quæ requiritur in decurionatu, requiritur in tutela, atque ita huiusmodi munera æquiparantur illis verbis, *exemplo cæterorum munerum ciuiliū introductum est,* ut ad exemplum decurionatus procedat tutela, ita ut si in eo sufficit consensus tacitus, in tutela quoque tacitus satis sit. quod agnouit etiam Donell. *in rub. C. quod cum eo, num. 50 & seqq.* † Vnde falsa est distinctio illa Doctorum, quam sequitur Platea *hic num. 3.* & alij relati ab eodem Barbofa *supr. num. 11.* distinguentes inter officium publicum auctoritate & utilitate, ut est decurionatus, & publicum auctoritate, non verò utilitate, ut est tutela, ut in vno sufficiat tacitus consensus, in altero expressus, quoniam eam distinctionem reiicit euidenter *d. l. 1. C. quod cum eo.* quæ ad exemplum decurionatus tutelam procedere statuit. & ita non possum assequi mentem Cuiacij, qui *tract. 7. ad Afric. in l. mandasti 46. D. de negot. gest.* vult in harum legum diffidio non esse separandam tutelam datiuam à testamentaria. Aitque quòd si tutor gesserit tutelam, ut *in d. l. 7.* tenetur pupillo in solidum negotiorum gestorum nomine, ut *in d. l. mandasti.* Cum tamen contrarium constet ex eadem *l. 7. & d. l. Lucius 21. de admin. tut.* ubi tenebitur quasi fideiussor ex consensu tacitè præstito. † Minus ad rem facit Ant. Fab. *d. princ. 1. illat. 16.* accipiens *d. l. 7.* de consensu expresso, quem ipse non nudum vocat. *& d. l. 21.* de consensu nudo patris, qui vel ex scientia & patientia tantum inducatur, vel ex tali etiam facto, quòd nullum se obligandi animum præ se ferat. Nam cum Marcellus *in d. l. 21.* dicat filium sciente & consentiente patre tutelam administrasse, quomodo de nudo consensu id accipiat Faber, non intelligo, præsertim cum idem Iureconsultus ait eo in casu nihil inducere ad obligationem scientiam & consensum, atque ita certum videtur præstitum fuisse expressè & clarè, non autem nudè.

36 Cogor itaque in antiqua differentia DD.

persistere quæ discernebat tutelam testamentariam à datiuam, ut dixi. Ratio verò ea videtur verior (relicta Donelli sententia *in d. rub. C. quod cum eo, num. 52.*) quæ dependet ex iis, quæ supra resoluimus, scilicet in testamentaria tutela non esse necessariam satisfactionem, *princ. & §. 1. Inst. de satisfaction. l. testamento 17. D. de testam. tutel.* quia fides & diligentia tutoris à defuncto approbata est, quæ non tam ex bonis, quàm ex moribus spectanda est. *l. suspectum 8. D. de suspect. tutor. l. creditores 13. §. 1. D. de reb. auct. ind. poss. & fides quam de tutore concepit, pro vinculo cedit cautionis, ut in alio proposito ait Papin. in l. si impuberi 13. §. fin. D. de tutor. & curat. dat.* Quare cum filius tutor nominatus cautionis vinculo liberetur, pater tutelæ consentiens nisi expressè cauerit, non tenebitur nisi de peculio, quia non debet obligari plus quàm filius, ut *in d. l. Lucius 21.* Neque ad obligandum patrem scientia, aut consensus sufficiet, ut *ibi* ait Marcell. quoniam expressus debet esse animus se obligandi. † Contrà verò est in datiuam tutela, quæ cum requirat satisfactionem ne pupillorum bona à tutoribus diminuantur, aut consumantur, necesse fuit eis à Prætore pinguius prouideri, ne aliàs si minus idoneè pupillo caueretur, magistratus in subsidium teneatur, ex tit. *de magistr. conuen.* Pater verò filij tutoris ob tutelam malè à filio administratam conueniri non potest, nisi quemadmodum à cæteris filij creditoribus de peculio, vel de in rem verso, nisi pater tutelam agnouerit, quia tunc in solidum tenebitur, ut *in d. l. si filius 7. D. de tutel.* quod extorsit fauor pupillorum, ut consensus patris obligationem induceret, ob quam causam multa in iure admittuntur specialia, *l. pen. §. cum igitur C. de necessar. seruis hered. iunctis quæ ego dixi lib. 1. obseruat. cap. 7. num. 16.*

Ait lex, & illo in rebus humanis agente honor tibi delatus est.

Hoc ideo, quia si post mortem decurionatum adipiscatur, heredes patris non tenebuntur. Adèd ut si eo mortuo aliqua munera, vel honores ratione officij obtinuerit, minimè heredes conuenientur, quia necessarium est ut viuo patre munera filio iniungantur, vel quòd pater fuerit professus se susceptorum munus filio iniungendum. *l. Lucius 21. §. idem respondit. D. ad municipal. l. et si filium 15. D. de muner. & honor. iuncta l. si filia 20. §. idem scribit 6. & §. seq. l. ex parte 39. §. filius 3. D. famil. ercisc. l. vnic. infr. de pericul. success.* ubi eleganter notauit Platea. Ratio est, quia si munera publica

publica filio delata sunt, iam mortuo patre, cum eorum nomine pater numquam fuerit obligatus, dum vixit, neque etiam heredes obligabuntur, cum non sit hereditaria obligatio. Ita docuerunt *in presenti* Accurs. *verb. reipublica*, & Plat. num. 4. qui contra propriam sententiam supr. *in d. l. vnic.* malè rem hanc discussit, dum contra iura adducta tenet administrationem filij in officio decurionatus, qui post mortem patris incepit obligare heredes eius. quod longè abest à veritate iam cognita, vide Cuiac. *lib. 1. resp. Paul. in d. l. Lucius. §. idem respondit. & lib. 5. resp. Papin. in d. l. & filium.*

39 & Gothofred. *in d. §. idem respondit.* † Hucque videtur spectare decisio *l. vnic. infr. si post creationem quis decesserit.* vbi si aliquis electus fuerit ad subeundum aliquod munus quod gerere debebat, verbi gratia, post aliquem diem, & ante illum moriatur, heredes eius non tenebuntur eo nomine, quoniam cum electus non exercuerit suum officium, tale munus, vel honor morte iam expirarunt. *l. 4. C. si pendente appell.* Integraque re decedens, & nondum explicato negotio, minimè dicitur obligationem contraxisse, argum. *l. cuius bonis 9. D. de curat. furios.*

Ait lex, *Sed non antè nisi tuis proprijs rebus excussis.*

40 Non antè cõueniendus est pater, vel eius heres, nisi priùs excussa fuerint bona filij, quia cum pater se obligauerit ex consensu præstito tamquam fideiussor indemnitate, talis fideiussor non conuenitur nisi post excussionem rei principalis, vt abundè dictum est suprà, & aduertunt Platea *hic num. 6.* & Barbosa *in d. §. transgrediamur,*

41 *num. 14.* † Qui an hæc decisio etiam in patre, qui assensit tutelæ filio delatæ, habeat locum, quaerunt post Salicet. & antiquos *in d. l. 1. C. quod cum eo.* & Barbosa contra Plateam tenet eo in casu obligari patrem tamquam simplicem fideiussorem, iuxta *l. 1. C. de fideiussor.* quod mihi non placuit, veriorque videtur Plateæ opinio, quia, vt dixi suprà, æquiparatur tutela cum officio publico, *in d. l. 1. C. quod cum eo.* Neque interest quòd in solidum pater teneatur consentiens tutelæ, quia & in nostro casu in solidum quoque tenetur. *l. si filius 7. D. de admin. rer. ad eiu.* Vnde cum fideiussor sit utroque casu indemnitate,

42 rectè suo beneficio gaudebit. † An pater obstringatur pro filio infante ad munera subeunda, vide quæ dico ad interpretationem *l. §. 1. infr. de mun. & honor.* † Qua-

43 tenus autem teneatur pater de delicto filij quem officio præposuit, vel dominus de

delicto famuli, aut serui, quod poterat hic tractari, vide Farinac. *de delict. quest. 24. tot. præcipuè num. 49. & seq.* Barbof. *in l. si mora 10. num. 38. D. solut. matrim.* Cald. Percy. *de extinctione emphyteuf. lib. 4. cap. 19. ex num. 3.* post Menoch. *de arbitrar. cas. 345.*

LEX II.

Exemplum sacrarum litterarum DIOCLETIAN. & MAXIMIANIAA.

Observare oportebit magistratus, vt Decurionibus solemniter in curiam conuocatis, nominationem ad certa munera faciant: eamque statim in notitiam eius, qui fuerit nominatus, per officialem publicum perferri curent: habituro appellandi, si voluerit, atque agendi facultatem apud Præsidem causam suam iure consueto, quam si constiterit nominari minimè debuisse, sumtum litis eidem à nominatore restitui oportebit.

LEX XLVI.

Imp. ARCAD. & HNOR. AA. Ennoio Procos. Africa.

Nominationum forma vacillare non debet, si omnes, qui albo curiæ detinentur, adesse non possunt, ne paucorum absentia, siue necessaria, siue fortuita, debilitet quod à maiori parte ordinis salubriter fuerit constitutum, cum duæ partes ordinis in vrbe positæ totius curiæ instar exhibeant.

His adiicimus alias plures leges huius tituli, quæ ad tractationem nostram spectant, ex sunt, *l. 3. l. infamia 8. l. in albo 9. l. si ultra 10. l. nec infames 12. l. si ad magistratum 18. l. si quis decurio 24. l. ad subeunda 46. l. si quos 59. h. t.*

S V M M A R I V M.

1. Explicatur inscriptio huius legis secundæ, & quare dicantur litteræ Imperatorum sacra. & n. 2.
3. Virgilij locus exponitur præter omnes.
4. Quare non habeat hæc lex 2. Consuluum nomina.
5. Decuriones solemniter conuocari debent ad electionem faciendam, & quid solemniter sit. & quid sit in usu. & n. 6.
7. Actus est nullus si Decurionum vocatio non sit solemnis in rebus magni momenti.
8. L. actuarios 7. infr. de numerar. & actuar. explicatur contra Morlam.
9. Longa consuetudo in electionibus officialium attendenda.
10. Electio officialium non potest fieri absque iudicis auctoritate.

11. *Conuocatio debet fieri in curia, & tempore consueto, & num. 12.*
13. *Electio conciliorum circa qua officia versetur olim & hodie.*
14. *Præsides Ordinibus remittebant electionem suorum officialium.*
15. *Electus certiorari debet ut possit vel acceptare, vel reclamare proposita appellatione, & n. 16.*
17. *Electus si appellet à nominatione quid debeat probare, & quid in tutela, remissiue.*
18. *Rixa & lites oriuntur hodie ex electionibus officiorum.*
19. *Cuilibet de populo competit electionis impugnatione.*
20. *An electi, quorum electionem alij contradicunt dum lis pendet, possint exercere sua officia. questio late exagitur.*
21. *Pendente lite nobilitatis, etsi ex lege regni contribuatur, tamen officia nobilitatis potest exercere, & n. 32.*
22. *Expenditur in questione proposita pro contraria sententia l. qui status 8. D. de re milit. & alia iura, quibus probatur electum pendente lite non posse exercere, & n. 23. 24. 27.*
25. *Electus impeditus per obiectiones sibi oppositas, si interim elabatur tempus, etsi postea confirmetur, non potest exercere officium, & n. 26.*
28. *Satisfit argumentis Speculatoris, & aliorum qua superius sunt apposita.*
29. *Explicatur c. fin. de iudiciis. & laudatur D. Sahagun Salmaticensis, & n. 30.*
31. *Ordinata lite in causa libertatis is qui litigat pro libero habeatur in pluribus causis ad intellectum l. ordinata 24. D. de liber. caus. & de vindicys libertatis.*
33. *An electio facta à concilio Decurionum sit actus extraiudicialis, ita ut in ea non detur attentatum, & n. 34.*
35. *Temperatur supra adducta sententia auctoris.*
36. *Questio elegans, an electi contra quos appellatio interposita sit, si postea vincant iam elapso anno sui officij, possint facere electionem de officialibus anni incipientis, & n. 37. & quid si annullata sit electio qui debeant eligere, an qui nulliter elegerunt, an verò depositarij qui sequestratum habuerunt officium. & n. 38. & 39.*
40. *Depositarius, aut sequester non priuat sua possessione possessorem.*
41. *Sequester, aut depositarius potest eligere, seu presentare, n. 45. 51. 52. 53. & 54.*
42. *In supradicta questione electionem de-*
- nolui ad eos, qui prius elegerunt, probatur grauis fundamentis. & n. 46. 47.*
43. *Electio qua non sortitur effectum consummatum, non tollit eligenti ius iterum eligendi, & n. 44.*
48. *Doctrina Baldi aientis, eum qui est in possessione, eligere debere, quomodo accipienda, agiturque de iure sequestri quantum ad possessionem.*
50. *Necessaria sequestratio non aufert possessionem litigantibus.*
55. *De causis quibus excusabantur Decuriones electi à nominatione. & prima de atate, & de senectute, & n. 56.*
57. *Senectus grauisimis affecta priuilegij. & quomodo excuset à muneribus, & num. 58. & 59. 60.*
61. *Regula quòd ubi res deuenit ad casum à quo, non potest incipere, actus vitiat, quomodo intelligatur, & de questionibus qua inde resolutionem habent, & quare maior atas requiritur in tutela excusatione, quàm in decurionatu, & num. 62. & 63.*
64. *De alijs excusationibus, veluti de morbo perpetuo, podagra, cacitate, surditate laborantibus.*
65. *Pater duodecim liberorum excusatur à muneribus decurionatus, & similia, & num. 66. & 68.*
67. *Defenditur vulgata littera l. si quis Decurio 24. h. t. contra emendationem Cuiacij.*
69. *Expertes litterarum possunt esse Decuriones, & ex eo non excusantur.*
70. *In fames exclusi à decurionatu.*
71. *Eligens indebitè condemnatur in expensis.*
- I**nscriptio huius legis secundæ ita concipitur. Exemplum litterarum sacrarum. eandem habet l. 5. supr. de iure fisci. Exemplum sumitur pro excriptione, siue copia, quod frequens est auctoribus Latinis. *littere sacre* dicuntur non solum rescripta, aut epistola Imperatoris alicuius interrogationi subscribens, verum & adnotatio Principis manu scripta, quam ad aliquos dirigit proprio motu, ut in l. omnes 43. infr. b. t. l. 1. C. de mandat. Princ. l. fin. C. de monopol. l. 2. supr. de bon. vacan. cum aliis qua adducit Brisson. verb. annotatio. & Buleng. lib. 3. de Imper. Rom. c. 12. à Brissonio, eius nomen reticens, multa, ut solet, transcribens. Dicuntur *sacre*, quemadmodum eo nomine dicuntur leges, epistola, rescripta, annotatio, domus largitiones, comitatus, stabulum, oraculum, affectus, & ferè omnia, qua ad Imperatores pertinebant, in libris iuris. **†**pro sacris enim habita qua sunt Principū.

idque siue quia eo saeculo vana assentatione Paganorum mos inuaserat, vt pro Diis Imperatores colerent, & diuinos honores eis dicarent, iam inde ab Augusto, vt testantur Horat. lib. 2. epist. 1.

Præsentis tibi maturos largimur honores

Iurandasque tuum per nomē ponimus aras.

& Mart. qui multoties Dei nomine blanditur Domitiano lib. 1. epig. 6. & lib. 5. epig. 3. & lib. 8. epig. 39. cum aliis, vsque ad tempora Caroli Magni, vt obseruat Iurret. ad Symmach. lib. 4. epist. 54. & lib. 7. epist. 59. & 94. & Forner. in not. ad Casiod. lib. 5. epist. 15. Siue etiam, quia quæ Principum sunt, cæteris longè maiora & præstantiora videantur, quasi non mortali hominum conditione ac lege, sed singulari diuinòque iure censeantur, vt constat eleganter ex Cælio Aureliano lib. 1. Chronicon. vbi de Epilepsia loquens, ait. *Appellatur sacra, siue ob magnitudinem passionis, maiora enim vulgus sacra vocat, vt sacrum dictum mare, sacra domus, vel, vt Tragicus Poëta, sacram noctem, id est, magnam.* † Quo in sensu credo Virgilium lib. 3. *Æneid. versu 56. dixisse,*

*Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?*

Non annuo Cerdæ qui *sacram* pro execrabili interpretatur, quod & ante eum dixerunt Seruius ibi, & Nonius Marcell. verb. *sacrum. pag. mihi 397.* & sequitur Taubman. ad Plaut. in *Mostellar. act. 4. scen. 2. vers. 67.* & in *Pænuli prolog. vers. 90.* † Quapropter cum huiusmodi exemplum sacrarum litterarum imperiali motu sit promulgatum, necessarium non fuit addere nomina Consulium, præcipuè cum non indulgeat alicui personale beneficium quod Consulium nomen desiderat. *l. si qua 4. c. de diu. rescrip.* vbi Gothofredus erit videndus.

5 Scribunt ergo Imp. ad electionem, seu nominationem faciendam conuocandos esse solemniter Decuriones à magistratibus. *Solemniter* explicauit Accurs. ad forum tubæ, vel campanæ. Hoc more sui sæculi, quod & apud nos receptum est, *l. 2. tit. 18. part. 2.* nec multum distat à priscis Romanis, apud quos per buccinam Senatus, aut populus conuocabatur. Propert. lib. 4. eleg. 1.

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.

Postea per edictum, & illud interdum viua voce, interdum per præconem, aliquando tabella scripta suspensa, vel affixa. Loca varia adducit Dorleans ad Tacit. lib. 1. *annal. pag. 30.* ad illud, *ne edictum quidem.*

6 † Apud nos curiæ coguntur per ianitores, apparitores, nuntios, vel, prout consuetu-

dine receptum est, teste Auendan. *in c. 20. pp. lib. 1. Pisa lib. 1. Curie cap. 7. & lib. 2. c. 5. Bobadill. lib. 3. polit. cap. 7. num. 14.* & aduertit Pyrrhus & Platea *hic num. 2.* quem sequuntur plures apud Hermosill. *in l. 15. tit. 5. p. 5. glos. 2. n. 21.* † Et quauis ad ordinarias res sufficiat citatio consueta, tamen ad nominationes, electiones, & alias causas, quæ magni ponderis sunt, necessaria est sollempnis conuocatio, aliàs actus erit nullus, & quod eius ratione fuerit factum, vt notari solet per tex. *ibi in l. actuarios 7. infr. de numer. & actuar. & in hac l. nominationum infr. obseruat Bobadill. d. cap. 7. n. 15. & 16.* quia non sit sollempnitas quæ in his casibus requiritur obseruata, *l. cum hi 7. § si prætor. D. de transact.* Aded vt si nulliter facta sit electio, tamquam nulla non indigebit appellationis remedio, vt constat ex Salgado de Regia protect. 3. p. cap. 8. num. 19. † Et confirmat *d. l. actuarios*, cuius rationem non est assecutus Morla *in emp. tit. 2. q. 26. num. 17.* dum ait *in d. l. actuarios* in pœnam eius, qui per contredationem & subreptionem data mala conscientia fecit, declarantur irrita, vt sic componat eam legem cum *l. Barbarius, D. de offic. prat.* Nam *ibi* longè alià est ratio, scilicet ne lites cum damno reipublicæ iterum suscitarentur. At *in d. l. actuarios*, quia actus factus est sine debita & consueta sollempnitate, irritatur, † ita vt longa consuetudo in electionibus officialium sit custodienda, vt docet Accurs. *schol. fin. per tex. ibi in l. super creandis, supr. de iure fisci, & in l. veras, infr. de diuers. offic. & in l. non tantum 11. in fin. D. de decurion. verb. consuetudo. DD. in l. item eorum. D. quod cuiuscumque vniuers. Nouar. in d. l. super creandis, ex num. 1. & Hermosill. supr. num. 21. & seq. Valenzuel. num. 5. & 8. & facit l. Imperatores. 13. § fin. D. de pollicitat. l. 4. C. vectigalia noua. cum Gutier. consil. 31. n. 23. l. 1. & 2. supr. de iure haste fisci. l. 3. supr. de bon. vacan.*

10 Requiritur etiam ad sollempnitatem electionis, vt fiat auctoritate publica magistratus, cui tamquam capiti reipublicæ competit tale ius, ita vt absque eo reputetur nullum quod factum fuerit, imò congregatio erit illicita sine præsentia iudicis, vt docent post Plateam *hic num. 1.* Bobadilla *d. cap. 7. num. 11.* Boher. *decis. 60. num. 12. & 13.* Cancer. *var. resol. lib. 3. cap. 13. num. 163.* Auendan. *de exeq. lib. 2. c. 15.* Sesse *de inhib. cap. 29. §. primo, num. 23.* & alios referens Nouar. *hic num. 1.* auctoritate nostræ legis, quæ vititur *verb. oportebit*, quod importat necessitatem, vt aduertunt post glos. *in cap. 1. de prescript. in 6.* plures

plures relati à Barbof. *de diction. verb. oportet, num. 2.* licet in aliquibus locis de consuetudine receptum fit, vt senior Decurio conuocet curiam si absens sit magistratus, vel agrotans. ita supradicti & Aceued. *in l. 15. tit. 6. lib. 3. Recopil. num. 7.* & etiam in aliis pluribus casibus possunt se congregare Decuriones, sine magistratu, quos congerit *in presenti Nouarius ex num. 2. cum seqq.* † Rursus & necessarium est, vt conuocatio fiat in Curia (de qua vide Bobadill. *d. cap. 7. num. 2.*) aliàs erit nullum quod in alio loco fuerit celebratum. *l. si quod 5. in fin. infr. de legationib.* docent Bobadill. *num. 10.* & Aceued. *ubi proximè,* post Plat. *hic num. 2. vers. tertio quæro.* licet dissentiat Auendan. *supr. lib. 1. cap. 20. num. 3.* † Vtteriùs requiritur quòd electio fiat tempore consueto, vt docet Platea *in hac l. si ad magistratum 18. num. 1.* & Amendola *in addit. ad Vincent. de Franch. decis. 438. num. 8.* Verùm ex hoc electio non erit nulla, vt tenet cum aliis Fontanell. *de pact. nupt. claus. 4. glos. 10. part. 1. num. 89.* Mastrill. *de magistr. lib. 1. cap. 23. num. 25.* quibus adde Auendan. *d. lib. 1. c. 19. ex n. 14. vers. quartò inspicì debet.*

Conuocato ergo, prout decet, concilio, ad nominationem, seu electionem officialium proceditur, videlicet eorum, quorum electio ad eos pertinet, prout apud antiquos fuit magistratuum municipalium Duumvirorum, Decurionum & similibus. Apud nos in populis & villis *Alcaldes ordinarios, y de la ermandad, Regidores jurados Sindicos, y otros officiales de los Concejos.* In ciuitatibus verò, quia decurionatus officia à Rege donantur, venduntur, aut conceduntur, *se eligen alcaldes de la ermandad Procuradores de Cortes y otros officios semejantes que pertenecen a la ministracion publica. l. 1. tit. 13. lib. 8. l. 5. tit. 2. lib. 7. Recopil. l. 4. & 5. tit. 7. lib. 6. Recopil. l. 3. §. si decuriones. D. quod cumscumque vniuers. Auiles in capp. Prat. cap. 17. verb. elijan. num. 1. & 11.* Bobadill. *lib. 3. cap. 8. num. 41. & seqq.* † Fiebat electio Decurionum conuocata curia, plerumque Præsides solebant ad ordinem remittere quem crearet magistratum, vel Decurionem. *l. 1. §. solent 3. D. quando appell. sit.* † Factaque electione in notitiam eius, qui nominatus est, per nuntium perferri curare debent magistratus, vt ait Auiles *supr. num. 3.* vt si electus acceptauerit, confirmetur à Superiori. *l. si quos 59. infr. h. t.* Sin autem excusationem habeat legitimam, possit appellationis remedio contra electionem pro-

De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. 1.

ponere, quia non aliter poterit excusationibus suis vtì, quàm si appellationem interposuerit, cum si intra tempus propositum ad appellandum non prouocauerit, electioni de se factæ consentire videtur, & postea appellans non audietur. *d. l. 1. §. solent, l. 1. in princ. D. de vacat. mun. l. 4. l. hi qui 7. l. ciues 11. l. nominationes 27. C. de appellat. l. 8. tit. 23. part. 3.* cum notatis à Salgado alios cumulante, *de Regia protect. 3. part. cap. 8. ex num. 17.* † Ratio est, quia cum, vt diximus *in rub. supr.* omnes qui nominabantur, curias horrent, & auersarentur, facile fuit electo excusatione proposita à munere se excusare, & sic onus iniuncti muneris subterfugere, quod nisi proposita appellatione fieri poterat, nec causa prosequi. *d. l. 1. de vacat muner.* & hæc est causa quare appellationis meminerit lex nostra, in quo Cuiac. *lib. 9. obseru. cap. 35.* hæret, nescio quid comminiscens, & Pichard. *in §. quia autem 18. Inst. de excusat. tut.* satis nudè id pertractans, sicut omnia, quæ ad librum primum Institutionum spectant (qua de causa aliquando volui lacunas quas reliquit, additionibus explere, & cum muneris nostri, cum Salmanticæ degereamus, occupatio retardaret, ipsi auctori missimus nostros labores, vt in tertia excusatione perpoliret.)

Probare itaque debet qui à nominatione appellauit, se iustè appellasse, & iustificare (vt nostri loquuntur) causas suæ appellationis, *d. l. hi qui 7. C. de appell. de qua re vide relatos ab Osvald. lib. 28. Donnell. cap. 8. lit. C.* Contrà autem habetur in tutela ex *§. qui autem 18. Inst. de excusat. l. 1. §. 1. D. quando appelland. sit.* docet Pich. *supr. & in d. §. 18. Donnell. lib. 3. com. cap. 9. & ibi Osvald. lit. R. Cuiac. in l. 2. §. nunc transfamus. D. de excusat. tut.* Gratian. *decis. 30. Auiles d. c. 17. pp. verb. elijan. num. 9.* Auendan. *de exeq. d. cap. 19. num. 26. vers. his casibus, & alios referentes Fontanell. supr. d. claus. 4. glos. 10. n. 129. & Salgad. de reg. protect. 3. p. cap. 8. num. 24. & 25.* † Hodie verò apud nos vix in facto continget quòd nominati ad duumviratus, vel decurionatus appellent, imò verò nihil in populis & municipiis magis ambiunt oppidani quàm huiusmodi officia duumviratus, seu decurionatus, quorum causa rixæ, lites, iurgia communem societatem distrahentia plerumque oriuntur, cum magno & honoris & patrimoniorum detrimento, vt quotidie vidimus in Regiis Vallisoletano & Granatensi Auditoriis.

Quare appellationes plerumque proponuntur,

nuntur ab aliis non electis, & ab officiorum adeptione eiectis, scisso in contrarias partes populo & concilio, & cum cuilibet de populo impugnatio electionis competat, *l. reus delatus 7. vers. cum, iuncta glos. ibi verb. appellatum. D. de munerib. facit l. 3. §. fin. cum l. seq. D. de noui oper. nunt. cum pluribus relatis ab Auendan. d. cap. 19. num. 27. Fontanell. d. glos. 10. part. 1. num. 90. vers. & non tantum, & num. seq.* Pars quæ maiorem in electione habet numerum suffragiorum, & potentior est, in possessionem officiorum suos electos mittere solet. Altera verò electionem impugnat, & contradicit, variis exceptionibus vtens quæstio frequentior solet agitari in hac Curia nostra, (omitto alias plures quas pertractant post Auend. Curiam Pisan. & alios ²⁰ Fontanell. d. claus. 4. glos. 10. tot.) † An pendente exceptione contra electionem Duumvirorum (Alcaldes dicimus) Decurionum, vel aliorum officialium, possint electi interim dum lis pendet, exercere officia sua, quam quæstionem tractauit Speculat. *lib. 4. tit. de except. §. nunc videndum, & in terminis Phœbus decis. 65. qui distinguunt, an electus inceperit exercere, vel non, vt in primo casu retineat exercitium suæ possessionis, in secundo verò excludatur, quia cum inchoata fuerit possessio, conseruandus est ei status suæ possessionis. l. 1. §. propter 3. D. nihil inuouari app. pen. ibi, integer enim status esse videtur appellatione interposita. Secundo facit cap. fin. de iudicij, ibi, cogeretis communitatem eandem, electum ab eisdem in Rectorem admittere, & ibi, ne tempus regiminis inutiliter elabatur. vbi cum lis verteretur super electione, coguntur qui sunt de communitate, electum admittere & retinere. † Tertio facit *l. ordinata 24. D. de liberal. caus. l. lite 14. C. eod. vbi si quæstio status moueatur, interim pro libero habetur is de cuius libertate quæritur, quorum iurium argumento traditur quòd etsi pendente lite nobilitatis quoad Pragmaticam de Cordoua non excusetur quis à contributionibus, ex l. 9. tit. 11. lib. 2. Recop. tamen qui litigat, potest obtinere officia quæ Nobilibus conceduntur, vt post Couar. docuerunt Otalora de nobilit. 3. part. tertia part. princ. cap. 3. n. 8. Garcia de nob. glos. 35. n. 49. Auendan. d. cap. 19. num. 23. vers. decimotertio debet. Gutierr. lib. 1. pp. quæst. 25. Sesse decis. 2. n. 52. & 55. Fab. de Anna conf. 80. Pascal. de patr. potest. 4. p. c. 2. n. 87 & ita vidi in Curia Granatensi iudicatum fuisse.**

²² Verum hæc sententia non videtur posse subsistere, primò ex *d. l. qui status 8. de re*

milit. vbi qui status controuersiam patitur, non potest interim nomen militiae dare, nec fundamentum quod præstat ea lex, contra supradictam sententiam enervatur, si dicas loqui ibi Vlpian. de his qui nomen militiae dare volunt, qui debent esse ingenui, cum serui à militia prohibiti fuerint, l. ab omni 11. D. de re milit. l. qui de libertate 29. D. de liberal. caus. Nam non malè adduci potuit illa lex ad propositum, quia non minus incapax est officij obtinendi, qui non ritè electus est, quàm erat seruus militiae sedandi, cum per appellationem suspensa sit electio, & ad eum statum deuenerit, vt censeatur tamquam si facta non fuisset, l. sciendum 15. §. si fundum. D. qui satisfacere cog. l. 1. §. fin. D. ad SC. Turpill. l. 1. §. integer. D. nil nouar. appell. cum adductis à Roman. conf. 41. Alexand. conf. 36. num. 5. lib. 4. Tusch. tom. 1. lit. A. concl. 377. Gutierr. lib. 1. pp. quæst. 39. num. 2. Phœb. arrest. 104. Aceued. in l. 32. tit. 6. lib. 3. Recop. num. 6. & ita vterque effectus appellationis locum habere debet, cap. concertationi 8. de appellat. lib. 6.

Rursus facit quòd quemadmodum electus vt potest appellationis remedio, quod ²³ non debuisset eligi, ita etiam concedendum est in electore, vel eo cui ius competit contra electionem dicere, vt possit appellare, cum sint relatiua. *l. si ad magistratum 18. in fr. h. t. & dicam in tertio fundamento; sed electus per appellationem suspendit in presenti effectum electionis. ergo eodem etsi elector, vel qui hoc ius habet, suspendere debuit per appellationem interpositam effectum electionis, & sic pendente lite electus officium non potest exercere.*

Tertio expendo *l. nominationes 27. C. de appellat. vbi si nominatio facta fuit absque solemnitate, aiunt Imperatores ad eam rescindendam non esse necessariam appellationem, & tamen ibi generaliter loquuntur tam de appellatione nominati, quàm de appellatione nominatorum, aut eorum, cui tale ius competere potest, quod clariùs patet ex l. si constet 12. D. de appellat. vbi appellatio interposita fuit, non ab electo sed ab electoribus, vel aliis. Ergo si in specie illorum iurium non esset in re aperta appellatio, sed obscura, suspenderet iuxta naturam suam administrationem officialis electi.*

²⁵ Quarto expendo doctrinam communem quòd si electus ad officium fuerit impeditus per obiectiones sibi oppositas, quòd non sit ritè electus, & interim elabatur tempus officij, licet sententiam postea obtineat,

- obtineat, qua confirmetur electio, neutiquam poterit officium assumere, & sequenti anno exercere, argumento *l. si usufructus mihi* 6. D. de usufruct. leg. docent Franch. decis. 419. num. 3. & ibi Amendola. Cabedo decis. 84. num. 5. part. 2. Valasc. & alij relati à Salgado de reg. protect. 4. p. c. 11. n. 54. Fontanell. de pact. nup. claus. 4. glos. 10. p. 1. num. 102. & 104. Maltrill. de magistr. lib. 1. cap. 21. num. 90. & cap. 23. num. 56. & nullis relatis præter suum Valascum, Barbof. in collect. ad d. cap. fin. de iudicij, num. 7. † Cùm ergo hæc doctrina sit verissima, sequitur electum interim, dum lis pendet, minimè posse exercere, aliàs superflua esset hæc doctrina, quod non est dicendum. † Atque ita hanc nostram sententiam probavit Senatus Lusitanus apud Phœbum d. decis. 65. num. 1. licet ipse nulla adducat fundamenta, sed ita nudè principalem quæstionem pertractat, vt solum tituli magis commendationem, quàm dispositionem designet, solumque laudat Speculatorem, cùm tamen potuerit allegare omnes Canonistas in d. c. fi. de iudic. præcipuè Ioan. Menoch. n. 10. qui ita testatur, & ibidem Barbof. n. 6.
- 28 Hac tamen sententia admissa non obstant fundamenta contrariæ. Primo ad Speculatoris distinctionem respondendum erit, inchoationem officij ita esse accipiendam, si postquam in possessionem missus est officij electus, insurgat contra eum aliquis, & appellationis remedio utatur, tunc enim diceremus conseruandum esse electum in statu suæ possessionis. At verò si statim ac electio facta sit, contra eam reclamatum est, & appellatio interposita, ne scilicet admittatur ad officium, propter aliquas causas, de quibus Caued. d. decis. 84. num. 17. & seq. & ei qui velit electionem confirmare, & electum in possessionem mittere, indictum sit ne vlteriùs procedat, neque officiales nominatos in possessionem mittat, & si contrafaciat, appelletur, tunc profectò nemo est qui non videat nominatos nullam possessionem habere, & attentatum esse, & sic rectè irrita pronuntiabitur possessio, & minimè pendente causa appellationis in exercitio erunt manutenendi, iuxta supra resoluta, vt obseruant Cabedo d. decis. 84. n. 16. & relati à Fontanell. supr. d. glos. 10. n. 98.
- 29 Neque electos fouet Summus Pontifex in d. cap. fin. de iudicij. quia illa verba, *Ne tempus regiminis inutiliter elabatur*, sunt ex allegatione partis, scilicet Syndici monasterij, non verò decidunt, vt facile legenti occurret, imò ea ratione non obstante in negotio procedi decreuit Pontifex, & ca-

stro illi, contra quod litigabant Abbas, & Conuentus, iniungit, vt dum pendet lis Rectorem à Conuentu electum admitteret, quia obtinuerat in possessorio contra dictum castrum, & sic debuerunt Abbas & Conuentus tueri in possessione dum pendebat ius proprietatis. Nam cùm principio contra castrum Conuentus possessorio egisset, & obtinuisset, Rectorem elegit, quem vt reiceret petitorio contra monasterium egit castrum, Honorius autem retinendum esse ait rectissime, quia inductū erat monasterium in possessionem eligendi, quæ electio erat effectus talis possessionis. † Omitto nunc disputationem quæ in illo textu solet agitari, quomodo iudex possessionis non cognouit *ibidem* de proprietate, de qua videas præter DD. *ibi*, Barbof. in collect. ad c. 1. de caus. possess. & ante Barbofam optimè eam quæstionem tractauit Doctor Sahagun, quondam Salmanticensis Academiae sacrorum Canonum Primarius Antecessor, vir illa ætate doctissimus, in repetitione, quam typis dedit, ad cap. 1. de sequestrat. possess. ex n. 95.

Alterum fundamentum de l. ordinata 24. D. de liber. cau. minus negotij faciet, quia loquitur specialiter in causa liberali, fauore scilicet libertatis, vt scilicet ordinata lite qui de statu suo litigat, pro libero habeatur, vt si quas habeat actiones, in tutum redigantur, non verò quoad omnia, vt rectè docuit Accurs. per tex. *ibi in l. si cui* 25. vers. licet. D. de liber. caus. ex lege itaque duodecim Tabularum vindiciæ datae sunt libertati. Vindicie sunt, vt quoties de libertate agitur, & incertum est, an seruus, vel liber sit homo, tunc afferatur in possessionem libertatis interim dum lis pendet. d. l. ordinata, l. lite 14. C. eod. l. 1. C. qui dare tut. l. 2. §. & cùm placuisset 24. D. de orig. iur. quòd vindicias dare dicebatur, vt videre est ex Liuio decad. 1. lib. 3. vbi factum illud Appij Claudij commemorat, qui Virginiae amore ardens clienti negotium dederat (verba sunt Liuij,) vt virginem in seruitutem assereret, neque cederet secundum libertatem postulantis vindicias. Aduocati puella cùm patrem dixissent abesse, postulat vt rem in patris aduentum differat, lege ab ipso lata vindicias det secundum libertatem, nec patiatur virginem adultam fama prius, quàm libertatis periculum adire. Conuenit Pomponius in d. l. 2. §. & cùm placuisset, D. de orig. iur. Petebatur itaque ab Appio vt esset Virginia in possessione libertatis, dum de eius statu quærebatur, vt explicauit Reuard, ad l. 12. tab. c. 6. Gothofr. in notis ad easdem tit. 22. §. 2. & alij, quos laudat Osyrah. ad Donell. lib. 20.

lib. 20. comm. cap. 1. lit. A. in fin. Schard. Caluinus & alij *de verb. iur. verb. vindicia.* Rosin. *lib. 8. antiq. cap. 6. pag. 1278.*

- 32 Aliud argumentum deductum ex doctrina Couarr. & aliorum *supr. num. 21.* respondeo procedere, quia qui de nobilitate sua agunt, interim non existimantur plebeij, nisi tantum quoad tributa soluenda, ex Pragmatica Regis Henrici, quæ est *l. 9. tit. 11. lib. 2. Recop.* non verò quoad possessionem suæ nobilitatis, quam retinet dum durat litis controuersia, vt eleganter obseruat Couar. *lib. 1. var. cap. 16. num. 11.* & ideo rectè potuit ad officia eligi, iuxta supra dicta. Hoc tamen non habet locum in nostra specie, vbi nulla adest possessio, neque ius, cum per appellationem sit suspensum. † Neque obstabit si dicas electionem ab officialibus factam esse actum merè extraiudicalem, quia tales actus non fiunt à Concilio tamquam à iudice, iuxta Bobadill. *lib. 3. cap. 8. num. 175.* & in actibus extraiudicialibus non datur attentatum, vt docet Couar. *cap. 24. pp. num. 5.* & cum pluribus exornat Salgad. *de regia protect. 2. part. cap. 13. ex num. 1.* neque suspenditur executio per appellationem, *cap. constitutus 46. de appellatio.* vbi Panormitan. Lancellot. *de attent. 2. part. cap. 12. limit. 5. n. 4. & 5. & limit. 40. n. 5. & limit. 49. num. 5.* Gonçalez *reg. 8. Cancell. glos. 9. in annotat. num. 27.* Ergo quantumuis appellatio & reclamatio proponatur, non poterit reuocari datio exercitij officialis, cum actus fiat extraiudicialiter. † Respondeo itaque electionem non esse actum merè extraiudicalem, quando interuenit contradictio partis, vt patet ex *cap. constitutio 41. de elect. lib. 6. Clem. 2. de iudicij.* aduertit Salgado *d. cap. 13. ex num. 34.* qui *num. 72. vers. igitur,* rectè ait quòd vbi in extraiudicialibus, (qualis est electio) per comparitionem contradictoris exceptiones non friuolas, sed legitimas, & non calumniosas opponentis, efficitur actus iudicialis, & alteratur eius natura, & in ea procedi debet contradictorio iudicio, quia contradictio ipsa facit litis contestationem, & postquam sunt exceptiones oppositæ & propositæ, à non admissione & receptione earumdem admitti debet appellatio, *cap. concertationi 8. de appellat. lib. 6.* quæ vtrumque effectum debebit habere, iuxta tradita à Salgado *d. cap. 13. num. 136. & seq.*
- 35 Crederem tamen nostram sententiam temperandam, quoties electio legitime facta fuisset, iuxta leges & consuetudinem, & nihilominus appellatio interponeretur, tunc enim cum causa appellationis friuola

esset, argumento *cap. cum appellationibus 5. de appell. lib. 6.* iunctis quæ de friuolis appellationibus cumulat Salgado *supr. 3. part. cap. 6. ex num. 1. 28. & 40.* rectè talis appellatio contemnenda est, & electus in possessionem mitti debet sui officij, & absque metu attentatorum ad executionem electionis procedi, argumento *l. nominationes 27. C. de appellat.* quia malitiis indulgendum non est.

Huic quæstioni annectenda est alia non minus frequens, quàm difficilis, an si suspensa fuerit electio officialium per controuersiam, & pendente lite annus elaboratur, restituti post annum elapsum, nondum facta electione, possint eam facere de officialibus futuris, anni scilicet sequentis. Et pro eis facit quòd quamuis officiales obtineant post annum elapsum, licet ad officia non restituantur, restituantur tamen ad interesse, vt ex *d. l. si usufructus mihi in biennium 6. D. de usufr. leg.* probaui *supr. num. ...* & sic ad nouam electionem celebrandam restituti videntur. Quoniam si per sententiam electio confirmata fuit, & iam valida fuisse declaratum, qui antea erant in officio, non poterunt eligere, quia finitum est suum officium, & electio ab aliis facta non esset legitima, vt pote facta ab iis, qui iam nullum ius habebant, & cum in ea versentur operæ personales quæ mutuantur ex cursu temporis, aliæ sunt huius anni, & aliæ anni sequentis, vt firmat Cabedo *d. decis. 84. num. 5. 2. part.* Vnde cum tempus expirauerit, in quo poterant manentes in officio eligere, ius nullum officialibus antecedentibus iam relinquitur, argumento *l. epistola 52. §. fin. D. de pactis. l. Imperator 8. de postuland.* cum adductis à Ramon. *conf. 6. n. 62. & seqq.* & sic qui obtinuerunt, gaudere debent subrogatione temporis præsentis in locum præteriti, argumento *l. Cesar 15. D. de publicanis.* docet Aretin. *in l. si ita stipulatus essem, num. 2. & 4. D. de verb. obl.* Franchis *decis. 419. num. 4.* † Neque oberit quòd si transactus est annus, iam non poterit iste, qui obtinuit, eligere, quia cum fuerit impeditus propter litigium, non erit exclusus ab electione & nominatione successoris, cum impedito non currat tempus. *l. 1. §. fin. C. de annal. except.* cum aliis vulgatis, quæ refert Barbof. *de axiomat. verb. tempus 116* præcipuè, quia cum non sit electus successor, rectè poterit saltem quoad electionem officium exercere, sicut qui spectat successorem, retinet officium vsque ad aduentum eius. *l. meminisse. D. de offic. Procons.* cum notatis ibi à Bart. & aliis, & Auiles *in cap. 5. pp. n. 6.* Bobadill.

badill. lib. 1. cap. 2. n. 23. Mastrill. de magistr. lib. 1. cap. 23. num. 77. aliàs enim sequeretur absurdum quòd non esset in populo qui posset eligere officiales anni sequentis.

38 At verò si electio, super qua litigatur, infirmitur, iterum dubitatur qui debeant hanc electionem facere, an qui priùs elegerunt, licet non bene, an autem depositarij, quibus pendente lite sequestrata sunt officia? & videtur eos qui electionem fecerunt, licet annullatam iterum electionem facturos, quia non ex eo quòd elegerunt nulliter, ius eligendi perdiderunt, cum ad id iure proprio admittantur, non verò iure alieno, vt docet in proposito Auendan. d. cap. 19. num. 22. vers. & de nouo. Bobadill. lib. 3. cap. 8. num. 46. Cabedo d. decis. 84. num. 14. p. 2. Caldas de potest. eligend. 3. p. cap. 5. num. 8. latè Fontanell. tom. 1. de pact. nup. claus. 4. glos. 10. p. 1. ex num. 41. Lofæus de iure vniuers. 1. p. cap. 3. num. 103. & seqq. & pro ea sententia multoties pronuntiatum vidimus in Granatensi regia Curia, in multis similibus litibus.

39 In contrarium autem videtur quòd si apud sequester officia manserunt dum lis pendebat electionis, depositarij electionem facient. quia qui functi sunt officio suo, nullum ius post electionem habent, & possessio in sequester, seu depositum transfertur. l. licet 17. §. fin. D. de positi, & fructus possessionis est iurisdictio ipsa, quam exercent, & consequenter electio, iuxta adducta à Giurb. cons. 96. num. 7. & 10. Et quamuis non ignorem d. l. licet §. fin. loqui quando deponitur possessio, ne pugnet cum l. interesse 39. D. de acquir. poss. vt notauit Donell. lib. 5. comm. cap. 13. vbi Ofvval.

40 lit. F. † Quoniam regulariter depositarius & sequester sua possessione possessorem non priuat, vt docent plures apud Barbofam in cap. 1. de sequestrat. poss. num. 5. vbi etiam Sehagun num. 8. Menoch. de retinen. rem. 3. num. 86. & seq. Ludouif. decis. 9. n. 2. Gratian. tom. 1. disceptat. cap. 114. num. 12. Riccius collect. 1645. p. 5. At quando iurisdictio sequestratur, certum est deponi ipsam possessionem. nam ipsa iurisdictio & possessio quæ consistit in exercitio, idem sunt. l. 1. de iurisdict. & sic ad exercitium, seu possessionem illam pertinebit quoque electio officialium, sicut pertinent cæteræ res, quæ ad iurisditionem spectant, & quæ dependent ab eadem quæ sunt iurisditionis effectus, argumento l. Titia 84. D. de solution. vt notat cum Ruin. cons. 53. num. 7. vol. 4. Farinac. in nouissim. 1. p. decis. 397. num. 4. & fuit doctrina Bal. in l. alienationes

41 num. 2. D. famil. ercisc. † qui tenet seque-

strum, aut depositarium posse eligere, seu presentare, quod docuit Innocent. in cap. examinata, de iudicijs, in princ. Felin. in cap. cum Bertoldus, de re iudic. num. 29. & 30. & alios referens Gutierr. de tutel. 3. p. cap. 7. num. 16. Ceuall. com. contra com. q. 740. n. 1. Cened. collect. 5. ad Decretal. num. 9. & lib. 1. canon. q. 10. num. 3. Garcia de benefic. 5. p. cap. 6. num. 1. Barbof. in collect. ad cap. ex litteris, de iure patron. num. 8. & in cap. 1. de sequestr. poss. num. 5. & 6. & quamuis hæc in rebus spiritualibus habeant locum, argumentum etiam applicatur & in profanis, in quibus datur eadem similitudo, vt obseruat Molin. lib. 2. de primog. cap. 4. num. 38. & seqq. Gratian. 1. tom. discep. cap. 58. n. 11. & plures congerens Fontanell. sup. d. claus. 4. glos. 10. p. 1. num. 42. & Ramon cons. 6. num. 47. quia leges non dedignantur sacros canones imitari, vt aiunt iura, & sic eodem modo depositarius officij electionem facere debet, cum vterque à pari procedat.

Nihilominus tamen adhuc in ea sum 42 opinione, vt in casu proposito electio debeat deuolui ad eos, qui priùs elegerunt. quod quia contra communem opinionem procedere videtur, ideo fortioribus fundamentis solidabimus. Primò † quia electio, 43 quæ non fortitur effectum consummatum, non tollit eligenti ius iterum eligendi. cap. si electio 26. cap. si compromissarius 37. de electione, lib. 6. tradit Oldrad. cons. 57. de concess. preb. num. 1. & multis adductis Gonzalez in reg. Canc. glos. 45. §. 3. ex num. 6. Gratian. tom. 1. discep. cap. 58. num. 5. & seq. Surd. omnino videndus cons. 264. num. 29. vol. 2. Fontanella d. glos. 10. n. 49. † Neque enim 44 potest dici electio quæ non habuit effectum, cum illo remoto, remoueatur nomen & species, vt dixit Bal & relati à Gratiano sup. num. 7. & cum primus actus non obtinuit effectum suum, secundum intentionem agentis, debet iterum fieri. l. qui per salutem 33. D. de iureiuran. l. de die 8. §. si seruus. l. si arbitro 10. in fine. D. qui satisfacere cog. Tiraquel. in l. boue. §. hoc sermone. lim. 1. num. 1. & 20. & limit. 6. n. 6. post glos. verb. reiterari, in cap. Daibertum 24. 1. q. 7. & in iudice, qui licet nulliter declarauit, non tamen propterea priuatur facultate iterum iudicandi, tradit Menoch. de arbitrar. q. 67. num. 2. Pereyra de nomin. emph. tom. 3. cap. 5. num. 8. & seq. Fontanell. sup. num. 58. † Se- 45 cundò facit quòd sequester vtitur non suo iure, sed alieno, iuxta Cabed. d. decis. 84. num. 14. & sequestro conceditur vsus dum lis pendet, ad tempus scilicet limitatum, atque ita limitatum debet producere effectum, iuxta vulgarem regulam l. in agris

21. *D. de acquir. rer. dom.* Gonzalez *sup. in proem. §. 7. num. 59.* Quare si elegissent depositarij, ius suum transcenderent, & usurparent officium propriariorum. & si finito iam anno ad electionem procederent, cum ius quod habent, sit limitatum, alios depositarios eligerent, & sic usurparent auctoritatem superioris, qui ea officia sequestrauerat, & nominarent priuata auctoritate, & contra decretum regium Cancellariae, quod plerumque concipitur, *ut depositarij utantur officijs dum lis pendet, & ut interim non possint depositum alterare, & hoc intelligatur sine prauiudicio electorum.* Ergo iam finita lite sequestrum expirabit, cum usque in illud tempus deposita sint officia, argumento *l. in honorarij 35. vers. sed cum rescissa. D. de oblig. & act. l. epistola 52. §. fin. D. de pact.* quia lapsus temporis excludit à beneficio quod ad tempus fuit concessum, argumento *l. Imperator 8. D. de postulan. Ramon. d. conf. 6. n. 64.* Quare cum res reducatur ad tempus, quo debuit fieri electio, effectus sententiae per fictionem retrotractiuam retrahendus est ad tale tempus, ex traditis à Costa *de retrotract. cap. 9. cas. 18.* & sic celebranda est electio ab iis, qui prius eam fecerunt, quia pendente lite non videntur possessionem perdidisse quo ad hanc causam electores, ex dicta clausula praeseruatua, ut sequestrantur officia sine prauiudicio electorum, ut docent Beltramin. *in add. Ludouis. decis. 9. num. 15. & 16. Seraphin. decis. 756. num. 3. & decis. 941. Riccius resolut. 415. in fin.* quae retrotractio optimè conungi potest, cum medio illo tempore nullum ius fuerit alicui quaesitum quo potuissent excludi electores, argumento *l. stipulatio 63. D. de iure dot. notant relati à Ramon. d. conf. 6. num. 36.* quia sola electio nullum parit electo ius, nisi sequatur acceptatio, confirmatio, & ingressus officij. Ramon. *ubi prox. num. 29.* & Bobadill. *lib. 3. cap. 8. num. 57.*

48 Neque obstat doctrina Bal. *in d. l. alienationes num. 2. D. fam. ercisc.* qui ait eum eligere debere, qui est in possessione. Quia licet ea doctrina vera sit, ex Couar. *pp. cap. 14. num. 2. Gutierr. lib. 3. pp. q. 42. num. 46. Ceuall. 5. tom. 9. 94. num. 20. & 21. Nicol. Garfia de benefic. 5. p. cap. 5. num. 4.* intelligenda est in eo, qui veram habet possessionem, quam tamen non habet sequester, qui verè non possidet, sed tantum habet deputationem iurisdictionis, argumento *l. more. 5. D. de iurisdic. cum ei non conueniat definitio possessionis, quam tradit Donell. lib. 5. comm. cap. 6. & ibi Osvald. Pichard. in princ. Inst. de interdicitis, in tract. de*

acquir. possess. art. 2. ex num. 27. & sic dicemus sequestrum esse in possessione, quod longè diuersum est à possidere. *l. si quis ante 10. §. 1. D. de acquir. possess. vbi explicauit Cuiac. & lib. 9. obseruat. cap. 33. P. Faber in l. qui in seruitute 118. D. de reg. iur. Mindan. de materia possess. cap. 2. num. 3. Osvald. d. lib. 5. Don. cap. 6. lit. L. & probat etiam l. certè 6. §. is qui, D. de precario.* † Est itaque depositarius tamquam fructuarius illius iurisdictionis, quia non habet affectum domini, vel, ut alij malunt, non habet affectum possidendi, qui debet interuenire ex parte possidentis, iuxta definitionem Donelli & Pichardi. Quapropter magis est custodiae causa in possessione, ut aliàs dixit IC. *in d. l. si quis ante §. 1. & in d. §. is qui,* vbi de fructuario idem dicitur. † Quod non male suadetur ex vulgari doctrina, quae tenet talem sequestrationem, cum sit necessaria, utpote facta à iudice, non auferre possessionem litigantibus, testantur Aceued. *in rub. 111. 12. lib. 4. Recop. num. 5. Gratian. tom. 1. discep. cap. 114. num. 12. Castilla lib. 3. quotid. cap. 16. num. 15. & seq. congesit plures Barbof. in d. cap. 1. de sequestr. poss. num. 5. & ante eum Sahagun ibidem n. 9.* ex quibus facile responderetur ad primum argumentum primae opinionis contrariae. Et quamuis daremus possessionem esse apud sequestrum, non tamen dicemus ex ea fuisse concessam possessionem eligendi, quae diuersa est à possessione iuris dicundi.

Alterum fundamentum deductum ex iure patronatus minus debet esse in consideratione, quoniam contraria opinio quod sequester non possit praesentare, non minus est à doctissimis viris admissa, ut constat ex Barbof. *de iure Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 233. Sahagun in cap. fin. de sequestrat. poss. num. 56. & seq. Ceuall. d. q. 740. num. 3. Baëza de decima tutor. cap. 20. num. 17.* qui hanc veriore censent, ex eo quod contraria nullo iure probetur, & haec fortissimis fundamentis consistat. † quorum vnum proponam deductum ex *c. cum Bertoldus, de re iudicat.* vbi creditor, cui ius patronatus cum vniuersitate bonorum pignori datum est, (quod in creditorem transit, *cap. ex litteris 7. cap. cum saeculum, de iure patron. l. in modicis 24. de contrah. emt. l. quaedam 62. D. de acquir. rer. dom.* cum adductis à Barbof. *in collect. ad d. cap. ex litteris*) praesentare non potest, ut ex aliis tradit idem Barbof. *de iure Eccles. lib. 3. cap. 12. num. 237.* & tamen creditor talis idem iuris habet quod sequester, quia verè possidet pignus creditor. *l. per seruum 37. D. de acquir. rer. domin. l. 1. §. per seruum 15. D. de acquir.*

adquir. poss. l. serui 16. D. de vsucap. l. 13. tit. 10. p. 7. ibi, verdadera tenencia. docent Cuiac. lib. 18. obser. cap. 24. Giph. in d. l. 1. §. 15. num. 69. Copus de fructib. tit. 4. cap. 1. Donell. de pignor. cap. 9. Menoch. de recup. rem. 9. num. 197. & seq. Gregor. in d. l. 1.

53 *verb. tenencia.* † Et nullam aliam rationem tradunt contrariæ opinionis auctores, ob quam sequester præsentet, nisi quia possidet, & præsentatio possessorem sequatur. *cap. ex litteris 7. cap. consultationibus 19. de iure patron. quæ ratio falsa est, vt rectissime obseruauit D. Sahagun in d. cap. fin. de sequestr. poss. num. 57. vers. secundò omnes. nam & vulgi commentum eam vocat, & toto cælo errare putat eius asseclas. Nam d. cap. ex litteris 7. de iure patr. loquitur de conductione ad longum tempus, quæ vtile dominium transfert. l. 1. & similib. D. si ager vectig. Hoc enim significat, ad firmam dare, vt sic explodas Barbof. in collect. ad d. cap. ex litteris n. 4. qui de conductione ad modicum tempus illa verba non rectè accipit, siquidem conductor talis non possidet. d. l. certè 6. §. is qui. D. de precario. & vtile dominium præferendum est directo in præsentatione, vt in d. cap. ex litteris.*

54 Minus ad rem facit fundamentum aliud deductum ex *d. cap. consultationibus 19. de iure patron.* Nam distinguendum est inter eum, qui possidet vniuersitatem bonorum, & eum, qui est in possessione præsentandi, siquidem sufficiens est sola præsentandi possessio, etsi postea in causa succumbat. Menoch. *cons. 90. num. 125.* non verò sufficiens est possessio bonorum, vt docuimus cum Sahagun *sup. num. 63. & 64.* qui addit quòd quamuis in praxi viderit sequestrum præsentare, hoc factum fuisse diuersa ratione, quàm ea quæ consistit in possessione, scilicet, quia ea sit sequestrationis natura vt res, de qua controuertitur, apud sequestrum deponatur, & possessio transferatur, ita vt neuter ex litigatoribus rem habeat, iuxta terminos *d. l. licet. §. fin. D. de depositi. siue sequester sit à partibus, vel à iudice electus pro domino futuro, & eius nomine videtur præsentare, cum vnus ex contendentibus dominus sit, & in eius vtilitatem vsucapiat, d. l. interesse, de adquir. poss. & interim rem custodiat, & administrat iura, quasi mandatum habens ad præsentandum, rectè potest præsentare, cap. illud 8. cap. ex insinuatione 14. cap. per nostras 26. de iure patronat. ita vt talis præsentatus, & inde institutus, eum, qui victor extiterit, recognoscat, tamquam patronum, argumento *cap. si verò 12. de iure patron.* cum qua doctrina nunc ego transeo, quia*

hic locus non est eam in examen rigidum adducendi.

Ait lex, quem si constiterit nominari minime debuisse. hoc ideo, quia electus potuit habere excusationem. Cum ergo decurionatus, vt scripsi in rubrica, adeò fuerit laboriosus, plures excusationes propositæ sunt in iure, quibus qui eligebatur, liberari posset ab nominatione. Hinc variæ excusationum causæ à legibus admittuntur, vel reprobatae. Videamus itaque de *admissis.* † Prima si septuagesimum ætatis annum electus habuerit, *l. si ultra 10. infr. h. t. vel quinquagintaquinque annis maior fuerit, l. fin. infr. qui ætate, vel profess. se excus. is enim senex dicitur ex Menoch. de arbitrar. cas. 59. toto. Gratian. discep. tom. 2. cap. 328.* Habuitque senectus peculiarem fauorem, ob quem præsertim varia priuilegia ætati concessa sunt, vt recedatur à iuris regulis ordinariis, vt obseruat Flamin. *de resignat. benefic. lib. 5. q. 6. num. 4. & vt inquit Pontifex in cap. magna 7. de voto. Etatis vita senescentis defectus atque canicies vix labores suos & dolores tolerare potest.* præsertim cum senectus ipsa sit morbus, teste Comico, ob quam rationem Virgil. *lib. 6. Aeneid. vers. 275. morbum & senectutem coniunxit,*

— *subeunt morbi tristiisque senectus.*

& sic difficile visum est vt in graui iam ætate possit quisquam rectè, & prout decet rempublicam administrare, qui nec suis negotiis superesse potest, imò in graui damno erit respublica, cum administraretur ab eo, qui iam creditur moriturus, & de alio sæculo, quàm de præsentanti tractare, vt sentiunt Alciat. *de præsum. reg. 1. præsum. 53. Menoch. lib. 5. de præsum. 46. num. fin. & sic aptus non est officio publico senex. Bobadill. lib. 1. polit. cap. 7. num. 10. & seqq. Quomodo enim de republica tractabit cui incumbunt, tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot cura, toties inuocata morte, vt nullum frequentius sit votum. cui hebescunt sensus, membra torpent, præmoritur visus, auditus, incessus, dentes etiam ac ciborum instrumenta.* verba sunt Plinij *lib. 7. hist. cap. 50.* † Accedit etiam senectuti antiquos tantum detulisse, vt senes honoratioribus iudicarentur. *l. semper. 5. D. de iure immunit. & vt ait Agell. lib. 2. noct. Attic. cap. 14.* apud antiquissimos Romanorum neque generi, neque pecuniæ præstantiorem honorem fuisse tributum, quàm ætati. Nam, vt Iuuenal. ait *Satyr. 13.*

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,

Si iuuenis vetulo non assurrexerat, & si Barbato cuicumque puer.

Qua

Quapropter magnus honos senibus exhibitus in consilio, sessionibus, conuiujs, & in omnibus, vt dicemus in *l. sancimus, infr. de consulib.* cumulant in proposito multa post Tiraq. *de iure primog. in prefat. n. 2 i 6.* Langlæus *lib. 7. semestr. cap. 7.* Mastrill. *lib. 2. de magistr. cap. 5. num. 4.* Dorleans *ad Tacit. lib. 3. annal. pag. 372.* & Scriban. *lib. 2. polit. Christ. cap. 7. vers. Quod de Principe, †* & inde senectus præbet iustam causam resignandi episcopatum, *cap. 1. cap. nisi cum pridem 10. vers. alia vero, de renunt. vbi cum aliis aduertit Barbof. post Menoch. de arbitr. cas. 59. num. 3. & ne contineantur duro carcere, l. fin. de custod. reor. & vt examinentur ante litem contestatam, cap. quoniam, vt lite non cont. cum Farinac. de testib. q. 76. n. 83. & alia similia congerunt suprâ adducti Tiraq. num. 105. & seq. Mastrill. d. cap. 5. n. 62, Gothofred. in d. l. semper. Cened. collect. ad Decretum. 9. num. 5. Cabed. d. decis. 84. Fontanell. d. glos. 10. num. 127. Nouar. in l. fin. infr. de Tironib. ex num. 3. Gratian. tom. 2. discip. cap. 328. ex num. 2.*

58 Sed huic traditioni videtur contrauenire *l. 2. §. numerus, & l. in honoribus 8. D. de vacat. muner.* vbi septuaginta anni non tribuunt vacationem à muneribus delatis. Cui difficultati rectè satisfacit Cuiac. *lib. 1. resp. Papin. in d. l. 8.* qui ait septuaginta annorum numerum excusare à muneribus personalibus, vt in dictis iuribus *l. manifesti, infr. qui atate.* Sed si iam electi sint, & tales honores habeant annexa aliqua munera, quæ ea necessariò sequuntur, non ideo excusationem habebunt, veluti si aliquis Decurio creatus sit, & deinde septuagenarius Duumuir creetur, iuxta *l. honores 7. §. is qui. D. hoc tit.* non habebit excusationem, quia duumuiratus cohæret muneri decurionatus. sicut etiã non poterit Decurio, quantumuis senior iam esset, se excusare ab alijs muneribus quæ honoribus adhærent, veluti editione muneris. *l. Circensium. infr. h. t. legatione, vel sacerdotio, d. l. honoribus. l. 1. infr. de pericul. success.* quæ dignitas patrimonij erogationem continebat, vt testatur Pancirol. *in not. Imp. Orien. cap. 105.* Itaque dicemus senes horum annorum excusari à muneribus, quando principaliter ab eis se excusarunt, non verò si aliquod munus adepti velint ab illis muneribus connexis & cohærentibus, & quæ veniunt in consequentiam, se excusare.

60 † Quemadmodum non excusabuntur si superueniat grauis ætas ei, qui munus iam susceperat, vt notauit Accur. *in d. l. si ultra 10. infr. h. t. quem sequuntur Bar. & Salicet. relati à Plarea & Pyrrho ibidem, & proba-*

tur in *l. prator 13. §. fin. D. de vacat. muner. l. semper 5. §. hoc circa, 7. D. de iure immunit. l. infamia 8. in secunda parte, infr. h. t. †* Et si enim dici solet quòd vbi res deuenit ad illum casum, à quo incipere non potuit, actum vitiari. quod in varijs quæstionibus adducunt IC. *in l. 3. in fin. D. de his que pro non scrip. l. quia in eum 16. D. ad leg. Aquil. l. si minor 4. D. de seruis export. l. inter stipulantem 83. §. sacram. & §. si quis rem. l. existimo 98. in fine principij. D. de verb. oblig.* ea regula procedit quoties actus non est perfectus, neque consummatus. At verò quando actus est perfectus, & absolutus tam in dispositione, quàm in executione, non est nouum, vt quæ semel vtiliter facta sunt, durent, licèt ad eum casum deuenirent, à quo incipere non potuerunt. *l. patre 8. D. de his qui sunt sui. l. oratione 16. §. fin. D. de ritu nupt. l. qui testamento 20. §. nec furiosus. D. de testam. cap. factum 66. de reg. iur. in 6. docent Donell. in l. pluribus. §. & si placeat, de V. O. Connan. lib. 4. comm. cap. 9. n. 6. Eguinar. Baro & Corraf. in l. pro parte n. 10. de seruit. Cuiac. tract. 6. ad Afric. in l. fundus 32. D. de seruit. rustic. Tiraq. in tract. cessante cau. limit. 12. tot. P. Greg. lib. 4. syntag. cap. 1. num. 7. Claud. Prat. Gnoson general. iur. lib. 6. tit. 7. cap. 3. A. Gomez 2. tom. var. cap. 10. num. 21. †* Ex quo facilè dissolues quæstionem quam excitat Pyrrhus *in d. l. si ultra, an superueniens causa excuset à muneribus.* Nam si iam munus susceperat, & actus erat iam perfectus, non habebit excusationem: secus autem erit, si nondum erat consummatus, sed electio, verbi gratia, facta, & in possessionem nondum missus electus.

Similiter etiã excusationem non habet qui senex cum esset, & annosus, excusari se noluit, & sponte decurionatum suscepit. *l. 3. h. t. toto tit. infr. de his qui sponte publ. l. non distinguemus 32. §. sacerdotio, de arbitr.* Annosum vocat lex qui quinquaginta quinque annos excessit. huius enim ætatis homines quo ad excusationem pro senibus reputantur, vt constat ex suprãdictis iuribus. licèt quoad excusationem tutelæ maior ætas, scilicet septuaginta annorum, desideretur. *§. item maior 13. de excusat. tut. de quo videbis Ant. Fab. in Iurispr. tit. 24. princ. 1. illat. 4. §. de excusat. ob atatem.* vbi eleganter differit, quare exigatur illa ætas maior, & non sufficiat vt quis ingressus sit septuagesimum annum *in l. 3. D. de iure immunit.* Sed vellem ego vt nobis aperiret vir ingeniosissimus, quare in decurionatu ad excusationem sufficiat minor ætas. Mihi alia non occurrit, nisi quia decu

decurionatus honor maioribus erat plenus curis & laboribus, ut diximus *in rubr.* & qui hominem & suos filios Curiae mancipabat perpetuo, & qui functiones publicas implere tenebantur. *l. ad subeunda 45. infr. h. t.* quapropter vel robustiorem exigebat, quam in administratione tutelae.

64 Excusantur quoque qui morbo sunt affecti & afflicti, ut *in tit. qui morbo, infr. vide licet si utroque oculo careat. l. 1. illo tit. l. infamia 8. l. à muneribus 13. infr. h. t.* Quomodo enim qui seipsum regere non potest, alios reget? Idem erit dicendum de mutis, surdis & perpetuo morbo laborantibus, qui podagra affligitur, ita ut rebus suis interesse nequit. *l. 3. infr. qui morbo. videas Mastril. lib. 1. de magistr. cap. 30. num. 93. & lib. 2. cap. 10. toto. Giurb. cons. 8. num. 13. Cabed. d. decis. 84. num. 35. A. Fabr. in Iurisp. tit. 24. princ. 1. illat. 4. §. de excusat. ob valetudinem. Bobadill. lib. 2. cap. 21. n. 243.*

65 Habet quoque excusationem pater duodecim liberorum. *l. si quis decurio 24. infr. h. t.* quae excusatio introducta est ex lege Iulia & Papia, quae matrimoniorum frequentationi & liberorum procreationi praemiiis & penis prouidit. Campus spatiosissimus sese praebat de ea re differendi, nisi iam id antea fecissem *libro meo obseruationum secundo cap. 4. in princ. & cap. 5. toto*, ubi de lege Iulia & Papia plura adduximus. Adeat locum qui hanc rem latius velit exornare. nam mihi in animo semper fuit ne quidem mea scripta de vno in alium librum transferre. Fecunditati itaque merito praemia proposita sunt pluribus in locis. Nam pater, qui liberos habet in albo Decurionum, praefertur non habenti. *l. in albo 9. infr. h. t. & Consul Consuli, ex Agell. lib. 15. not. cap. 15.* Album vocat tabulam illam, siue matriculam, in qua Decurionum nomina secundum cuiusque ordinem scribuntur, de quo multa dixerunt lexici *verb. Album.* & Gothofred. *in tit. de albo scribendo*, ubi duae leges continentur quae disponunt quo quisque ordine se deat, & dicat sententiam. † Sedebit itaque prior qui pater sit, deinde qui filios non suscepit. *l. spurij 6. §. fin. D. hoc tit.* Ciues originarij praefertuntur si adsint in ciuitate incolis, qui non habent filios, Mynsinger. *cent. 4. obseru. 30.* Alciar. *de praesum. reg. 1. praesum. 37. num. 1.* & in aliis casibus. Nouar. *in d. l. in albo.* Expedi enim reipublicae ut abundet hominibus ad quos procreandos ut homines inuitarentur necesse fuit priuilegia proponere. *l. 1. D. sol. mat. dixi d. cap. 4. & 5.* existimanturque magis de republica solliciti patres, qui liberos susceperunt.

& necesse fuit patrem quiete & libertate afficere, ut tot liberorum educationi vacare posset. Vnde excusatio munerum numero liberorum indicta est pluribus legibus Pandectarum & Codicis *l. 2. §. 1. t. in honoribus 8. l. fin. D. de vacat. mun. l. semper 5. §. demonstratur. D. de iure immunit. toto tit. infr. de his qui numero liber. l. 1. infr. de legation. & hodie noua Pragmatica anno 1621. lata à Rege nostro varia fecunditati praemia proponuntur, nec solum qui liberos susceperint, verum & qui matrimonium contraxerint. docent Platea, Pyrrh. Cuiac. Nouar. & alij *in d. l. in albo. & in d. l. si quis decurio.* vbi etiam Fulu. Const. Alciar. *de praesum. d. reg. 1. praesum. 36. num. 1.* Menoch. *cod. tract. lib. 5. praesum. 12. num. 6.* & Auendan. *de exeq. 1. p. c. 19. n. 26.**

Liberatur ergo pater duodecim liberorum à decurionatu *in d. l. si quis decurio.* vbi pro duodecim vult reponere Cuiac. *sexdecim*, duplici ratione motus, & quod in Codice Theodosiano sit scriptum *tredecim*, hac nota XIII. & duo II. mutari debent in V. & quod *in d. l. semper, §. demonstratur*, sexdecim requirantur. Sed alibi dixi perpetuoque apud me manebit, auctoritatem Codicum Vulgatorum maiorem esse, quam Codicis Theodosiani è latebris & teneis post multa saecula in lucem extracti, & compago illa, ut nota XIII. mutetur in XVI. ridicula & indigna viro illo doctissimo. Cui non fauet *d. l. semper §. demonstratur*, quoniam ibi non exigit Aelius Pertinax Imperator tot liberos ad vacationem, sed fuit allegatio partis ut facilius ab Imperatore priuilegium impetraret, ut satis declarant illa verba, *tamen quia seaccum pueros habere per libellum notificasti.* Quod fortasse allegauit ut faciliorem redderet Principem ad id indulgendum, cum eo tempore nondum erat indultum, neque declaratum quot liberi ad id sufficerent, ut ab omnibus muneribus tam civilibus, quam patrimonialibus liberaretur pater indistincte, ut intellexit Fachin. *lib. 3. controu. cap. 49. in fin.* † Sed an ab omnibus muneribus pater duodecim liberorum excusetur, tam patrimonialibus, quam realibus à tributis & gabellis, & aliis contributionibus, an etiam idem dicendum sit in matre, disputarunt Couarr. *2. p. de sponsalib. cap. 8. in princ.* Rojas *de succession. cap. 16. num. 9.* Auendan. *sup. & Aceued. relati à Parlador. in sexquicent. differ. 49.* Fachin. *sup. d. cap. 49.* Gutierrez. *de tutel. 1. p. cap. 21. num. 3.* Bobadill. *lib. 5. polit. cap. 5. num. 31. lit. H.* Mastrill. *de magistr. lib. 1. cap. 30. n. 102.* Cabed. *d. decis. 84. num. 36. & seq.* Thefaur. *decis.*

decif. 267. num. 2. Donell. lib. 3. comm. cap. 9. vbi Ofvval. lit. D. Menoch. conf. 486. n. 3. Surd. decif. 123. n. 1. Nouar. & Fulu. Constant. in d. l. si quis decurio. à quibus multa circa illius interpretationem & varias quæstiones petere poteris.

69 Omitto alias excusationes, & deuenio ad eas, quæ non fuerunt admiffæ. Prima, si aliquis se excusaret ex eo quòd litteras nesciret. *l. expertes 6. infr. h. t.* quia in decurionatu magis spectatæ sunt olim facultates, quàm scientia litterarum, ad munera enim potiores & locupletiores electi sunt, & non tam vices, quàm vires attendebantur. *l. ad subeunda 45. infr. h. t. l. honor 14. in princ. D. de munerib. & honor. l. honores 7. in princ. D. h. t. & probat. Cabedo d. decif. 84. num. 1. Gothofred. in d. l. honores.* Præterquam quòd ad rempublicam administrandam necessaria non est scientia litterarum, imò ignorantes & imperiti possunt esse iudices, vt aduertit Bobadill. *lib. 1. polit. cap. 6. num. 16. post Auiles in cap. 36. pp. verb. firmadas, ex num. 1.* (& vtinam ita quotidie non accideret cùm videmus officia huiusmodi exerceri ab hominibus indoctis & illiteratis, qui omnia pessundant, vt egregiè deplorat Bobadill. *sup. num. 17.*) & probatur *in l. 4. tit. 22. p. 3* quam ad hoc expendit idem Auiles *num. 5.* rationem proponit Valenzuel. *in d. l. 6. à n. 1.*

70 Similiter & à decurionatu excluduntur infames. *l. infamia 8. l. nec infames 12. infr. h. t. l. vn. infr. de infamib. vbi dicam.* Dixi excluduntur, non excusantur, quia, vt ait *d. l. neque infames,* immunitas ob priuilegium datur, infamia verò nota est, & frui non meretur priuilegio qui pœnam meretur. *cap. tuarum 11. cap. vt priuilegia 24. extr. de priuileg. docent Pyrrhus in d. l. 2. vbi etiam Gothofred. & cùm excusatio, seu immunitas à muneribus sit quoddam priuilegium, non potest illud habere infamis qui notatus est ob pœnam. l. relegatorum 7. §. fin. cum l. seq. D. de interdicit. & releg. ibi, neque enim immunitatem pœna tribuere debet.* quod intelligas tantùm de muneribus quæ dignitatem continent, prout est decurionatus. *l. 1. sup.* non autem de muneribus realibus & personalibus, in quibus magis spectatur onus, quàm honos, *d. l. 7. §. fin. l. vn. infr. de infamib.* notant Platea *in d. l. infamia, num. 1. VVesembec. Freher. & alij relati ab Ofvval. ad Donell. lib. 18. c. 6. lit. B.* qui rectè infert tutorem rectè posse constitui infamem sui ordinis, suæque notæ hominibus, cùm tutela sit onus, non dignitas.

Ait lex, *sumtum litis eidem à nominatore restitui debet.*

71 Si nominator, seu elector indebitè in Decurionem aliquem nominauerit, qui excusationem habebat, & ab iniusta electione appellauerit, in omnes litis sumtus condemnandus est, ne dolus & malitia sua impunita remaneant. *l. vnic. infr. de sumtum recuperat. l. 1. §. qui excusatione. D. de vacat. muner. l. eum quem 79. D. de iudicij l. 4. C. de fructib. & lit. expen. docet Richar. in rub. Inst. de pœna temerè litig. n. 4. & seq. & in §. hac autem omnia 6. infr. eod.* Donell. *lib. 26. comm. cap. 3. vbi Ofvval. lit. E. & in nostro casu Cabedo d. decif. 84. num. 27. & 34. Auiles cap. 17. pp. verb. elijan. num. 10.* quem corruptè allegat & sequitur Fontanell. *d. claus. 4. glos. 10. n. 128.*

LEX XV.

Imp. CONSTANTIN. A. Mechilio Hilariano Correctori Lucania & Brittiorum.

Vniuersos Decuriones volumus à Tabellionum officiis temperare.

LEX XXXIV.

Imppp. GRATIAN. VALENTINIAN. & THEODOS. AAA. Floro P.P.

Si quis procurationem facultatum suarum curiali crediderit esse mandandam, totius dignitatis exceptione depulsa, grauissima pœna plectetur. Ille verò, qui immemor libertatis, & generis, infamissimam suscipiens vilitatem, existimationem suam seruili obsecundatione damnauerit, tradatur exilio.

S V M M A R I V M.

1. *Tabelliones non possunt esse Decuriones. Dissertitur de ratione, & an fuerit tabellionatus olim & hodie officium vile, & à seruis exercitum, & n. 3. 4. & 5.*
2. *Decurionatus est honor & dignitas.*
6. *Probatur late Tabellionum officium esse honestum, ex Cassiodoro, & n. 7.*
8. *Scribarum officium apud Gracos honorificentius, quàm apud Romanos.*
9. *Expenditur locus Tertulliani, quo probatur scribas non fuisse seruos. Item & alius Plutarchi & Suetonij, & n. 10.*
11. *Quæ fuerint scribarum decuria apud Suetonium.*
12. *Sequenti auro Tabelliones clarissimi titulo decorati.*
13. *An deberent esse iuris periti, explicatur l. moris 9. §. nonnumquam, D. de pœnis. & qui sint iuris studiosi & Iurisperiti in libris Pandectarum, & n. 14. & 15.*
16. *In prohibitione emtionis comparatur Tabellio cum maioribus iudicibus.*

17. *Agitur*

17. *Agitur de interpretatione legis nostræ, & de eius vera ratione, & adstruitur fundamentis claris Tabelliones ad decurionatum aspirasse, & n. 18. & 19.*
20. *Aperitur mens l. si quis decurio 21. C. ad l. Corn. de fals. & aliarum.*
21. *An olim fuerint Decuriones simul Tabelliones, & eadem gauderent auctoritate, explicatur Symmachus & Horatius, & n. 22.*
23. *Quare Sacerdotes non possint esse Tabelliones ad c. sicut 8. extr. ne Clerici, vel Monach. & leges regni, & n. 24.*
25. *Quando lex aliquid prohibet si actum non annullat, valebit mero iure.*
26. *Qui fuerint serui publici. an Tabelliones serui fuerint, ad l. fin. C. de seruis reipub. manum. & 27. & 29.*
28. *Error eorum qui existimabant Tabellionem esse seruum publicum, conuincitur.*
30. *L. 3. C. de seruis reipub. manum. emendatur, & explicatur, & n. 31.*
32. *Explicatur l. 3. infr. de Tabulariis, & de differentia Tabulariorum & Tabellionum, & n. 33.*
34. *Scribarum nomen apud Romanos, scribas diuersos comprehendebat.*
35. *Ad l. si quis procuracionem, infr. h. t. An officium Procuratoris sit vile, & n. 36.*
37. *De Principum Notarijs, quos Secretarios vocamus, & de eorum honoribus apud omnes nationes, n. 38. & 39.*
40. *A secreta quis fuerit tempore Caroli Magni.*
41. *Secretarij Principum magna reuerentia digni.*
42. *An Tabelliones nostri admitti possint ad reipub. administrationem.*
43. *De restatio Tabellionum.*
44. *Tabelliones non possunt esse Aduocati, & de ratione.*
45. *Econtra autem Aduocatus potest esse Decurio.*

TAbelliones non possunt esse Decuriones. Rationem proponunt Plat. Rebuf. Pyrrh. & Gothofred. hic, & plures relati à Bobadill. lib. 3. polit. c. 14. n. 43. à Barbofa in remiss. ad ll. Lusitania lib. 1. tit. 79. Gutierrez. lib. 1. pp. 9. 137. ex n. 3. P. Greg. lib. 47. syntag. c. 42. n. 14. Losæus de iure vniuers. c. 3. n. 16. Caspar Barthius lib. 50. aduersar. c. 1. quia sit hoc officium vile & infame, quod ab obtinendis honoribus arcere solet. l. 2. infr. de dignitat. † Et certum est decurionatum esse honorem, l. 1. & 3. sup. h. t. & dignitatem, l. 1. l. spurij 6. D. hoc tit. l. ne quis 38. infr. eod. obseruant Pancirol. de magistr. municip. c. 1. Bobadill. d. lib. 3. c. 8. n. 19. Losæus de iure De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. 1.

vniuers. c. 3. n. 15. ob quam etiam rationem Procuratores ab eo munere excluduntur, in d. l. si quis 34. infr. quia vile & abiectum officium non compatitur cum honoribus. Gutierrez. sup. n. 12. † Accedit etiam, quia tabellionatum exercere est actus seruilis, / fi. C. de seruis reipub. manum. ibi, post verò ut libertus tabulariam administrando libertatem quam fueras consecutus, non amisti. vbi difficultas erat, an ex eo quòd Tabellio esset, perdidisset libertatem, & responderet Imp. falua libertate liberum hominem posse tabulariam gerere. Status enim controuersiam patiebatur ille quòd Tabellionis officio vteretur. Quin & Capitolin. in Gordiano, ait, Tacito senatusconsulto faciendo nullos interesse scribas, nullos seruos publicos. seruique publici dicebantur Tabelliones, l. non aliter 18. D. de adoption. l. 2. C. eod. cum aliis quæ obseruat Bobadill. lib. 3. c. 14. n. 41. & 42. idque clariùs exprimitur in l. 3. infr. de tabul. vbi constituitur, ut ad tabellionatum homines liberi ordinentur, neque ulli ad tale officium pateat aditus, qui sit obnoxius seruituti. ergo ante eam legem serui Tabelliones erant. † Quapropter multi ex nostris, quos refert Gutierrez. d. q. 137. n. 6. tenent quòd attentata lege Regni 11. tit. 25. lib. 4. Rec. qua cauetur ne Tabellio ratione sui officij gaudeat exemptione tributorum, vel contributionum, si Tabellio fiat, qui aliàs erat nobilis, non gaudebit nobilitate, sed eam perdet, sicut exercens aliud quodlibet officium vile. † Sic etiam Petrus Bargæus, superiori sæculo Poëta doctissimus, à Paulo Iouio Tabellionis nomine publicis scriptis laudatus, ad eò canduisse dicitur, ut in historias illius sui commentatoris peculiari libro sit inuectus, ut testatur cum Hieronymo Magio Barthius d. lib. 50. aduers. c. 1. & Auctor Poëmatij, seu Satyræ de li. c. quam edidit Henric. Stephan. & P. Pithæus, & postea illustrauit Barthius lib. 7. aduers. cap. 17. & 18. viles vocat scribas.

— suique

*Obliti generis, nunc vilis ad ostia scriba
Manè sedent, illumque forum comitantur
euntem.*

Verùm hæc traditio omnino falsa est, & lex nostra ea ratione non fundatur, ut infrà dicemus. Veriusque est tabellionatum non fuisse officium vile & abiectum. quod suadet summa fides quæ in eo requiritur, omnem auctoritatem in se absorbens. Nam videretur improprium, ut persona vilis esset, & opus à tali factum, quale est instrumentum, tantam haberet auctoritatem, quantam leges scripturis publicis tribuerunt. Repugnaret certè omni bonæ gubernatio

bernationi, vt instrumentum quod essentiam sumit à Tabellione, à suo signo, ab eius subscriptione, à fidei interpolatione, magnam haberet auctoritatem, & qui omnem eam tribuit, esset vilis & abiectæ conditionis, cum ex illa radice mala malus fructus nasci deberet, iuxta veritatem Evangelij, id est, falsitates, damna, iurgia, lites & discordiæ, cum nemo plus iuris possit dare, nisi quod habet ipse. *l. traditio 20. D. de adqu. rer. dom. l. nemo plus 54. & 120. D. de reg. iur. & cum explorata sit fides, diligentia & capacitas Tabellionis, in graui eius munere non debuit persona vilescere. quod etiam expressit Cicer. lib. 3. in Verrem, c. 79. seu act. 8. dum ait, scribarum ordinem esse honestum quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ periculaque magistratum committantur & eum ordinem postea scribit præpositum esse industriæ & dignitati. † Quomodo enim hoc munus vile poterat esse, cui committitur antiqua fides, & quotidiana diligentia dirimit iurgantium litem, de cuius cura apud cunctos Præsules litigatur, & ille potius iudicat, qui causarum vincula dissoluit. Nam cum de Tabellionis aditis incorruptum testimonium processerit, cognitores reuerenter excipiunt, litigantes, quamuis improbi, coacti tamen obediunt, & cum fas sit promulgatam sententiam suspendi, Tabellioni non licet obuiare. Scribarum officium securitas solet esse cunctorum, quoniam ius omnium eius sollicitudine custoditur. Armarium ipsius fortuna cunctorum est, & merito refugium omnium dicitur, vbi vniuersorum securitas inuenitur. quæ sunt verba elegantissima Cassiodori lib. 12. epist. 21. qui non immeritò ibidem honorabile*

8 *decus* vocat exercitium Tabellionis. † Apud Græcos in comperto est honorificum fuisse scribarum officium magis, quam apud Romanos. Nam, vt Capitolinus denotaret Opilium Macrinum humili loco natum, adiicit Scribam fuisse, & idem constat ex Cicerone supra. Loculentius id probat Æmilius Probus, seu, vt alij malunt, Cornel. Nepos in Eumene. *Apud Romanos reuera sicut sunt mercenarij scriba existimantur, & apud Græcos è contrario nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, fide & industria cognita, quod necesse omnium consiliorum eum esse participem.* obseruat Couar. pp. cap. 19. n. 4. in fin. P. Greg. lib. 47. syntag. c. 41. num. 4. Rosin. lib. 7. antiq. c. 48. Casaubon. in not. ad Capitolin. in Opilio. Bulenger. lib. 6. de Imp. Rom. cap. 26. & Barthius d. cap. 1.

9 Et quamuis non tanto in honore esset hoc officium apud antiquos, qui illud exercebant, non existimabantur viles & abiectæ

conditionis, neque ipsum munus vilesceret. Scimus enim ex Tertullian. lib. 2. aduers. Marcionem n. 131. apud subsellia in iudicio confedisse. *Vt solo (ait) iniuriarum iudicio Hebræi Ægyptios repercuterent, liberi homines in ergastulum subacti, vt solas scapulas suas scriba eorum apud subsellia sua ostenderent flagellorum atrocitate laceratas.* quod tamen non nisi de hominibus liberis & magnæ auctoritatis intelligi nequit, cum in iudicio serui adistere non possent. *l. seruus 6. C. de iudicys.* At in foro & in iudiciis Tabelliones fuisse constat ex *l. moris 9. §. nonnumquam 4. D. de penis*, de qua infra agemus. † Conducit etiam Plutarchus in *Catone*, qui ait Catonem minorem Scribarum arrogantiam confregisse. quod de hominibus vilibus accipi non potest. Id etiam clariùs patet ex Suetonio in *Claud. cap. 1. Qui corpus Drusi, ait, per mancipiorum coloniarumque primores suscipientibus obujs scribarum decurijs ad urbem deuectum.* quod minimè possit dici de humilibus hominibus. Nam tanti Principis corpus honoris gratia ab Scribarum decurijs vnà cum Primoribus, id est, Decurionibus municipiorum deferbatur. † Dixit Suetonius *decurias scribarum* quia cum ingens Romæ esset numerus, distincti sunt per decurias, & sic Scriba Quæstorius, Ædilitius, Prætorius, prout Quæstoribus, Ædilibus & Prætoribus adstibat, item Pontificum, & Militares, aded vt minores Pontifices Scribæ aliorum dicebantur, vt meminit Iul. Capitol. in *Maximo*. loquens de ipso in Cæsarem creato. *eundem, cum scriba Pontificum esset, quos hodie Pontifices minores vocant, Maximum Pontificem appellauit.* obseruat Guterr. *de veteri iure Pontificio lib. 2. c. 13.* satis ieiunè. Vnde *Novell. 43.* quæ est *Auth. de Tabellionib. c. 1. vers. vt ergo.* priuatur Tabellio statione sua, id est, mansione sua, in qua officium exercebat tabellionicum, si videlicet adstibat in tribunali Prætoris, aut Ædilis. sicut apud nos dicitur *el escriuano de la juntamiento, o publico, o de camara, o asiento, o de este o aquel juzgado.* docent supra adducti Barthius d. c. 1. Rosin. d. lib. 7. c. 48. vbi in *Paralipom. Demster. Buleng. d. lib. 6. c. 26.* & Leuin. *Torrentius ad Sueton. in d. c. 1. & in Vespasian. c. 3.* qui tradit Scribarum ordinem equestri proximum fuisse, quod alibi non legi, & vellem vt vir ille eruditissimus id probaret. de Scribarum ordine est *l. 1. C. Th. de lucris officior.* vbi constituitur vt gaudeat solemnitate officiorum.

Sequenti postea æuo maiori in honore sunt habiti Scribæ, nam *Novel. 94.* quæ est *Auth. vt sine prohibitione matres, in fin.* clarissimi

fimi titulo decorantur, quo & Prætor etiam
ibi afficitur, obseruat Cuiac. *lib. 16. obser. c.*
 14. & apud Nicetā Choniatem *in vita Ioan-*
nis Commeni lib. 3. legimus. *Eum Alexius in*
scribarum numerum allectum, & affinitate ex
coniugio cognata cuiusdam deuinctum logo-
thetam secretorum designarat. Logotheta au-
tem ipsi Nicetæ est Cancellarius, seu Secre-
tarius, vt explicat Gretser. in comm. ad Codi-
num lib. 1. c. 6. n. 4. &, vt Codinus ait, logo-
 13 *theta præerat discutiendis & scribendis ra-*
tionibus. † Exigebatur etiam à Tabellioni-
bus peritia iuris Nouell. 66. quæ est Auth. vt
facte nouæ constitutiones. c. 1. in princ. ibi, suf-
ficienti hoc tempore omnibus manifestam eam
constituere & tabellionibus eius (legis) cogno-
scantibus virtutem. vbi notauit Gothofr. &
Cuiac. Nouell. 44. Casaubon. ad Sueton. lib. 6.
pag. mihi 192. & nouissimè huic sententiæ
calculum præbet & charissimus mihi, simul
ac doctissimus, omnigena eruditione & iu-
risperitia insignis, Don. Nicolaus de Castro
Salmanticensis Professor, D. Iacobi stem-
mate cõspicuis, in exercit. Salmant. exercit.
3 in princ. de emt. & vend. §. 35. n. 119. pag.
428. hinc notantes illud Vlpiani in l. moris
9. §. nonnumquam 4. D. de pænis. vbi de inter-
dictione aduocationis, quam pænæ nomi-
ne infligere solent iudices, agens, ait, solent
ita vel iuris studiosis interdici, vel Aduocatis,
vel Tabellionibus, vel Pragmaticis. Hæc ver-
ba intelligunt habita differentia inter Iu-
risperitum, & iuris studiosum. nam, inquit
Cuiac. Tabelliones & Aduocati pragmati-
ci iuris sunt periti, non tamen iuris studio-
 14 *si, cùm hac appellatione iuris interpretes*
Consultrique significantur. cui adstipulatur
Schard. de verb. iur. verb. iuris studiosi. † Quæ
sententia mihi non arridet. nam iuris stu-
diosi erant qui testamenta scribebant, vel
dictabant, teste Sueton. in Neron. c. 32. Dein-
de vt ingratorum in Principem testamenta ad
fiscum pertinerent, ac ne impunè esset, studiosis
iuris qui scripserunt, vel dictassent ea. & ta-
men nemo dicet de Tabellionibus eum lo-
cum accipiendum, sed de Iureconsultis,
qui & Iurisperiti sunt dicti l. si quando 17.
§. 1. D. si seruit. vind. ibi, Anno consilium om-
nes Iurisperiti dederunt. l. Lucius 88. §. fin. aliàs
est l. Scauola §. fi. de legat. 2. ibi, hoc testamen-
tum scripsi sine vlllo Iurisperito. Atque ita
promiscuè vsurpantur hæ voces. Nam Ta-
belliones testamentis condendis non ad-
hibebantur tamquam Iurisperiti, vt nota-
uit Casaubon. ad illum locum Suetonij (& sic
peritia legum ab eis non exigebatur vsque
ad tempora Iustiniani, d. Nouell. 66. c. 1.) sed
adhibebantur Iurecõsulti, vt notat Gotho-
fred. in d. l. Scauola, §. fin. qui scribis ea dicta-
bant, l. dictantibus 22. C. de testamentis, iur-
De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. I.

Et l. Lucius 40. D. de testam. mil. ibi, miles
Notario suo testamentum scribendum notis di-
ctauit. l. dominus 27. D. de testam. † Quare 15
existimo Vlpianum in d. l. moris §. nonnum-
quam. de Iureconsultis tractare, quos intel-
lexit sub illa voce iuris studiosis, differentia
posita inter eos & Aduocatos caufarum, qui
tempore Vlpiani ab illis longè distabant &
auctoritate & grauitate, vt notant DD. per
tex. ibi in §. responsa prudentum, Inst. de iure
naturali, & in princ. l. Gallus. de lib. & posth.
vbi Pichard. plures adducit. & sensus erit
Vlpiani, vt aliquando interdicatorum forum
Iurisconsultis, Aduocatis, Tabellionibus &
Pragmaticis, id est, Procuratoribus, vt rectè
eam vocem de eis accepit Gothofred. ibi,
cui fauet Iul. Firmicus lib. 3. Matheseon, cap.
6. Malitiosos facit pessimosque in omnibus
actibus, sed aut Aduocatos, aut Iurisperitos,
seu scribas, vel exceptores.

Postea verò constat de Tabellionum au- 16
 ditoritate ex l. omnis, C. Th. de ys qua admini-
 strantibus, vel officium publ. gerent. vbi pro-
 hibentur tum altiores iudices & fisci pa-
 troni emere (iuxta l. non licet 46. l. qui officij
 62. D. de contr. emt. l. vn. C. de contract. iudi-
 cum & quæ alibi diximus) & ea lege, eadem
 prohibitione constringuntur Tabelliones.

Nunc operapretium erit satisfacere dif- 17
 ficultati quam excitauit lex nostra cum ra-
 tione, quam ei falso tribuerunt Doctores.
 Nam, vt rectè notauit Couarr. *sup. d. n. 5.* &
 Gutierrez. *d. lib. 1. pp. q. 137. n. 16.* truncata est,
 & in præsentia multa eius verba desideran-
 tur, quæ in Codice Theodosiano adhuc re-
 tinentur, sub tit. de Decurionibus lib. 12. tit. 1.
 l. 3. vbi ita scribitur. *Vniuersos Decuriones vo-*
lumus à Tabellionum officijs temperare. Nemo
autem ad decurionatum vocatus excusare se
poterit, eo quòd fuerit Tabellio, cùm & huius-
modi homines si sint idonei, vocari ad decu-
riionatum oporteat. Lex enim qua Decuriones
à Tabellionum officijs voluit submouere, ad
decurionatum Tabelliones vocari non probi-
bet. ex qua lege apertè constat Impp. ea ra-
 18 *tione fundari in prohibendis Tabellioni-*
bus, ne vtroque munere simul fungantur.
† quod & in aliis officijs constitutum est,
ne quis plura officia simul exercent. l. liber-
tus 17. §. præscriptio, vers. sed eodem. D. ad mu-
nicipal. l. his quidem 5. infr. qui militare poss.
dicam in l. 3. infr. de dignitat. quia sic po-
tentiores fierent duobus his officiis, & ob
id grauius onerarentur municipales, prout
videre est ex Symmacho lib. 9. epist. 10.
 19 *† Item etiam & ne occasione dignitatis*
decurionatus instrumenta à se conscripta
derelinquant, quod innui videtur in l. 2.
C. Th. de Tabularijs, logographis &c. his ver-
bis, si qui Tabulariorum necessitate perfuncti,

vel adspirare cœperint ad Curias, vel vocari, non prius eos ordo suscipiat, quàm fideliter dederint administratarum suo tempore char- gularum apud acta rationem. quæ lex non minus apertè docet Tabelliones non fuisse exclusos à decurionatu, quàm *l. si quis decurio* 21. *C. ad leg. Corneliam de fals.* quæ videtur fuisse pars nostræ legis, cùm eamdem inscriptionem & subscriptionem habeat, & idem tempus datæ legis nostræ ita concipitur epigraphe, *Constantinus A. Mechilio Hilariano Correctori Lucania & Brit- tiorum.* subscribitur, *Dat. 3. Kal. Febr. Sabi- no & Ruffin. Coss.* quæ omnia in *d. l. si quis decurio*, inueniuntur. At *ibidem* constat statui, vt Tabellio fieri possit Decurio. ita quippe scriptum est, *Nec verò is, qui antè fuerit Tabellio ad eludendam quæstionem super his, quæ antè scripserit factus Decurio defendi hac poterit dignitate.* † In quibus legibus coniectari licet Decuriones consueuisse tabellionatum simul & decurionatum exer- cere. quod prohibetur in prima parte con- stitutionis, quæ videtur fuisse lex nostra, & *d. l. 3. C. Th.* At sequenti demum parte, quia Decuriones plures adhuc retinebant offi- cium tabellionatus, incidebat quæstio, quid iuris esset si Decurio falsi crimine accusa- retur, an tamquam Decurio, vel tamquam Tabellio deberet puniri? & ait quæstioni subdendum esse, etiamsi Tabellionis offi- cio seposito Decurio maneret, quasi earum legum sensus sit collatis & commixtis his fragmentis, vt nullus Decurio sit simul Ta- bellio, neque quisquam electus in Decu- rionem se excuset eo colore quòd Tabel- lio sit. Si verò accideret, vt aliquis Decurio re- merator legistabellionatum exercent, et- si ipsi torqueri non soleant, *l. fin. D. h. t. l. om- nes* 33. *inf. cod. cum adductis à Bobadill. lib. 3. polit. cap. 8. n. 26.* si tamen falsi crimine ar- guantur, torqueri poterunt, neque decu- rionatus dignitas eos liberabit, etsi in me- moriam pristinæ dignitatis, qui desit esse Decurio, torqueri non soleat. *d. l. fin. D. h. t. l. quilibet* 40. *infr. & l. 2. infr. de tabular.* quam quæstionem non poterit euitare Decurio, etiamsi non simul & eodem tempore con- tra leges Tabellio & Decurio fuerit, sed si tabellionatus officio deposito Decurionem fieri procurauerit, vt sic eam eludat. † Hæc est meo videri mens Constantini in his le- gibus, quas prout solet Tribonianus, in fru- sta discerpit, vt hominibus venturis cru- cem apponeret. Vnde non admitto Alciat. *lib. 8. pareg. c. 19.* opinionem, quem sequi- tur, eo non relato, Gothofred. *in d. l. si quis, lit. X* qui aiunt, Decuriones olim Tabellio- nes fuisse, & id munus ad magistratus mu- nicipales pertinuisse. Nam diuersa officia

fuisse, consequitur ex supradictis, etsi ali- quando præ auaritia, aut lucri cupiditate vtrumque officium exercuerint, & in ea- dem versati sint auctoritate populari, vt probat Symmach. *lib. 9. ep. 10.* illic, *sed prin- cipalibus & tabularijs liberum est alios à dis- pendio vindicare, alijs indebitum munus im- ponere.* vbi Tabelliones simul cum popula- ribus, qui erant Decuriones, vt dixi *in rub.* cognoscebant de tributorum exactione, in qua liberum eis erat alios onerare, aliof- que liberare. † Hinc accipit lucem Horat. *lib. 1. Saty. 5. vers. 34.*

*Fundos Aufidio Lusco prætorè libenter
Linquimus, insani videntes præmia scribæ,
Prætextam, & latum clauum, prunæque
batillum.*

Irridet enim Aufidium quòd cùm fuisset scriba, Duumvir postea creatus, vel magi- stratus factus, Fundorum (quapropter Præ- torem iocosè vocat) prætextam & alia or- namenta prætorica vanissimè in illo muni- cipio gereret tamquam si verè prætor esset Romæ, etsi prætozem municipij vocet Li- uius *lib. 23. Prænestini cum suo prætorè Mani- lio (scribæ is antea fuerat) Prænesti incolumes redierunt.* Præterea considerabam, an in contextu Horatij legendum esset *Prætoræ*, hoc sensu. Linquimus Fundorum muni- cipium Aufidio Lusco Prætoræ. nam in abla- tiui casu *Prætoræ*, nempe non constat Poëtæ mens. Vnde ex his tam longè repetitis constat Tabelliones non ex eo Decurio- nes non fuisse quòd essent viles, imò satis patet magistratus gessisse.

Hinc venit explicanda decisio *c. sicut* 8. *extrà ne Clerici, vel Monach. l. 15. tit. 8. lib. 2. ordin. l. 10. tit. 3. lib. 1. Recop.* vbi prohibentur Sacerdotes officium tabellionatus exer- cere. quod non ea ratione fundatur, quia vile sit officium, vt non rectè existimauit Pa- norm. *ibidem*, cùm in foro Ecclesiastico Ta- belliones esse possint, vt obseruat Couar. *d. c. 19. n. 8.* sed quia qui Deo militat non de- bet negotiis sæcularibus se immiscere, vt aduertunt idem Couar. & Aceued. *in d. l. 10. Recop. Cassaneus in consuet. Burg. rub. 1. §. 6. à n. 30. Farinac. 1. p. fragm. cri. lit. C. n. 212.* alios referens Cened. *collect. 147. ad d. cap. sicut*, vbi etiam & Barbosa *n. 1. & alter Barbos. in remiss. ad ll. Lusitan. lib. 1. tit. 79. n. 2.* † Qui rectè quoque adiiciunt quòd etsi prohibeantur Clerici, seu Decuriones esse Tabelliones adhuc, si officium exercuerint, instrumenta ab eis confecta mero iure va- lebunt. ita notauit Bar. *hic*, & reliqui lauda- ti à Valenzuel. *num. 1. Farinac. sup. num. 238. Ceuall. com. contra eom. q. 404. post Greg. in l. 2. tit. 10. p. 6. verb. frailes.* Cened. & Barb. *vbi proximè.* † Quod vtiliter notandum esse

esse ait Valenzuela pro interpretatione legum Regiarum, l. 1. & 2. l. 5. tit. 25. lib. 4. Recop. vt in casibus, in quibus leges aliquid prohibuerint, & in pœnam contrauentionis non apposuerint nullitatem actus, vel instrumenti cõfecti per Tabellionem, tunc actus, vel instrumentum mero iure valebit, quia non sufficit sola simplex prohibitio legis, vt annulletur instrumentum factum, nisi expresserit fore nullum, vt præter Bar. hîc, & in l. 2. l. generali, infr. de Tabular. docent Decius cons. 17. & 494. n. 12. & 13. Iason in l. patre furioso n. 16. D. de his qui sunt sui. Valenzuel. hîc num. 2. & latissimè Farinac. 2. p. fragm. lit. L. n. 169. & seqq. vbi multas ampliationes & limitationes inuenies. Suarez de legib. lib. 5. cap. 27. ex n. 4. & ratio supradictæ sententiæ est, quia adest primordialis causa officij tabellionatus & potestatis ipsi Tabellioni concessæ ad conficienda instrumenta, atque ita valet instrumentum sic confectum, licet impediretur conficiendum, d. l. patre, videasque Farin. vbi prox. n. 56. & seq.

- 26 Alteri argumento necesse est vt satisfaciamus, quo volebant DD. vilitatem officij Tabellionibus obtrudere, quod deducebât ex d. l. fin. C. de seruis reipubl. vbi serui publici dicuntur Tabelliones. Nam nego Tabelliones dici potuisse, aut fuisse seruos publicos, in d. l. non aliter 18. de adoption. cum similibus. Quia serui publici erant in publicum emti, vt in publicis ministeriis haberentur, l. 1. §. seruum 7. D. de questionib. vt reipublicæ nomine stipularentur, aut transfigerent. Hi autem erât serui reipublicæ ipsius, non singulorum, vt rectè docent post Tiraquel. de nobilit. c. 30. n. 9. Connan. lib. 2. comment. c. 2. num. 2. Gouean. & alij relati à Pichard. ad tit. Inst. de adoption. in repet. l. si adrogator. D. de adop. num. 9. & vltra eos videas Donell. lib. 2. comm. c. 13. P. Fabrum lib. 2. semest. c. 24. Cuiac. ad tit. C. de seruis reipubl. manum. Ofwald. ad Donell. lib. 6. cap. 5. lit. C. & lib. 12. cap. 11. lit. D. & seq. Morla in emp. tit. 12. in princ. n. 14. † Serui huiusmodi pro pupillis iure singulari receptum est vt stipularentur, non tamquam serui, sed tamquam priuati, iussi nempe à magistratu, vt obseruat Donell. apud Ofval. d. lit. D. & seqq. & hoc duobus in casibus, scilicet adrogationis, d. l. non aliter, & quando stipularentur rem pupilli saluam fore, l. 2. D. rem pupill. † Ridiculum etenim videretur opinamentum eorum quos sequuntur Gutier. d. q. 137. n. 17. vers. quare. P. Greg. d. lib. 47. syntag. cap. 42. n. 1. Bobadill. d. lib. 3. cap. 14. n. 42. qui existimabant ideo Tabellionem seruum publicum dictum, quoniam possit compelli à quocumque ad conficiendum
- De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. 1.

instrumentum. quod & cõprobat l. 11. tit. 7. p. 5. vbi dicitur Tabelliones esse tamquam seruos publicos. Nam lex illa communem errorem sequuta est interpretum, qui seruum publicum pro Tabellione accipiebant. Hac quippe ratione & iudex & quilibet officialis ita nominaretur, quoniam deseruiunt accusationi & actioni litigantium. Item & Medicus Aduocatusque qui quotidie coguntur officium suum partibus exhibere, etsi se subtrahunt, partes solent in Auditorio petere, vt talis Aduocatus, vel Procurator, qui denegat suum officium, compellatur illud exhibere, & decretum ita solet concipi, ayudele sopenade veinte o treinta ducados. videndus Mastrill. lib. 1. de magistr. c. 30. ex n. 74. post Bald. & Salicet. in l. inuitus C. de Procurator. Couarr. lib. 3. var. cap. 14. num. 1. vers. quibus expressim, & in pp. cap. 6. num. 4. Valenzuel. in l. si quis 16. infr. h. t. num. 5. & conferunt l. providendum, C. de postuland. & l. 1. §. aduocatos. D. de varijs & extraord. cognit.

Hi etiam serui publici adsistebant tabulario, & eidem deputabantur. Liuius lib. 34. Censores signatis tabellis publicis clausa tabulario, dimissisque seruis publicis negauerunt se quidquam publici negotij gesturos. confert Capitolini locus adductus sup. n. 3. & aduertit Cuiac. ad tit. C. de seruis reipubl. manum. & cum à seruitute liberandi erant, manumittebantur à Republica, seu municipio decreto ordinis. l. 1. infr. ne quis liber inuitus † Verum non efficiebatur ciuis Romanus ante legem Vectibulici, cuius mentio est in l. 3. C. de seruis reipubl. vel, vt legit Cuiac. Vectij Libyci, vel vectibulitiæ, vt vult Ant. Aug. quorum meminit ibi Gothofr. lit. L. quas omnes lectiones ego contemnerem, quia Libyci nomen non videtur Romanum, nec item Vectibulitium. Quare lego Vectij Bolani, qui fuit Britannia Præfectus sub Nerone, & eius meminit Tacit. lib. 15. Annal. in princ. & lib. 2. hist. ad fin. & in vita Agricola; & de eius bellica gloria, Stadius lib. 5. Syluar. in Protreptico ad Crispinum eius filium. Quare potuit illi Senatufconsulto interesse, vt tales serui manumissi efficerentur ciues Romani. quod sub Hadriano, Iuuentio, Celso & Neratio Coss. extensum est, vt non solum comprehenderet seruos. qui in vrbe & municipiis Italiae erant, verum etiam & Prouinciales, vt in d. l. 3. declaratur. † Vnde cum in eius specie seruus municipum manumissus esset, & postea tabulariam administrasset, id est, deseruisset tabulario, quemadmodum deseruiebant ante manumissionem serui publici. Quedo se firuendo al eseriuamo como

Li 3 deantes.

deantes. Non ex hoc actu seruili debet deduci, vel reuocari in seruitutem, *l. scientis 6. C. de ingenuis manum.* docet Cuiac. *sup.* Itaque longè differt Tabellionem esse, & tabulariam administrare. nam Tabellio non poterat esse nisi liber homo, Qui verò tabulariam, id est, rem tabulariam agebat, id est, administer erat rei tabulariæ, is erat seruus publicus, de quo in eo titulo, & cum ageret actum seruilem, in seruitutem potuit vocari, quæ fuit ratio dubitandi *in d. l. 3.* cui respondent Impp. non ex eo actu, sed ex titulo quo dominium serui acquiritur, seruus quis erit iudicandus.

32 Rursus non obstat *d. l. 3. infr. de Tabularijs*, quia respondeo omisso Bobadill. *d. lib. 3. cap. 14. n. 43.* non ex ea euinci Tabelliones antea seruos fuisse. quia tabularij huiusmodi non erant illi, de quibus tractamus, id est, qui publica instrumenta conficiunt, & fidem publicam à lege meruerunt, sed qui ciuitatum, aut prouinciarum rationes conficiunt, & supputant, *l. 2. sup. de iure fisc. vbi dixi. l. fin. in fin. D. si mensor falsum mod. l. 1. §. ludi. 6. D. de extraord. cognit.* Qui tamen serui aliquando erant, aliquando liberti, vt constat ex *d. l. 3.* vbi prohibentur rationes calculare cum creditoribus fiscalibus, qui fuerint serui. & ex vetusto lapide apud Emeritam, quem ex Resendio adducit Moreno de Vargas *lib. 1. historia Emeritens. cap. 3.*

P. ÆLIO VITALI AVG. LIB.
TAB.
PROVINC. LVSITANIÆ, ET
VETTONIÆ
STEPHANVS. LIB.
ET HERES PATRONO FECIT.

id est, Publio Ælio Vitali Augusti liberto
33 tabulario prouinciæ Lusitaniæ, &c. † At longè differt vnum officium ab alio, quia Tabelliones publica instrumenta publica auctoritate conficiunt, & tabularij sunt calculatores, qui tamquam periti ratiociniis adhibentur, & sic necessarium est, vt eas chartas, seu rationes confirmet iudex, vt
34 dixi *in d. l. 2. de iure fisci.* † Vnde descendit scribarum nomen apud Romanos non statim comprehendere Tabelliones publicos, & illos, qui acta publica conficiunt, de quibus nos agimus, sed omnes illos, qui prepositi rationibus domestici eas curabant, in ordinem redigebant, & sub fide sua obseruabant. item & illos, qui litteris, seu notis exscriptum lectioni traducerent, & quomodocumque rem chartis mādarent, conciperent, aut exciperent: vt constat ex Iulio

Firmico supra adducto *n... & D. Isidoro lib. 9. origin. c. 4. Tabellio vocatus eo quod sit portator tabellarum, item exceptor, idem & scriba publicus, qui ea tantum, que gestis publicantur, scribit.* Alij comitabantur dominos cum pugillaribus, vt si quid denotandum incideret, illico scriberent. Sidonius *lib. 5. epist. 17. ad fin. Nec plus moratus mox suo scriba qui pugillarem iuxta tenebat. & lib. 9. ep. 11. Tribuit & quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas saltuosa Compendium qui comprehendebant signis quod litteris non tenebant.* Erant alij scribæ à libris, qui librarij dicti, eo quod libros exscribebant, *l. si librarius 92. D. de reg. iur. Horat. in Arte,*

Et scriptor si peccat item librarius vsque. qui omnes videntur fuisse intra familias priuatas, Iul. Firmic. *lib. 3. Mathes. c. 12. Si vero per noctem sic fuerint inuenti Procuratores, actores, aut negotiorum gestores, facient, sed & magnorum virorum scribas efficient, & rationibus mensis, apothecis ac negotiationibus prepositos.* & Cicer. *lib. 5. epist. fam. ep. 20. Ita accepi librum à meo seruo scriba.* Horat. *lib. 1. Sat. 5. vers. 66.*

— Scriba quod esset

Deterius nihilo domino ius esse,

docet Barthius *d. lib. 50. aduers. cap. 1.*

Restat alterum argumentum deductum 35
ex *d. l. si quis procuracionem 34. infr. h. t.* Respondeo non loqui de officio Procuratoris causarum, quod ex se non est vile, nec infame, vt existimabant relati à Tiraq. *de nobilit. c. 30.* Auiles *in capp. prat. c. 3. verb. procuradores n. 2. & seq. Bobadill. lib. 3. pol. cap. 1. n. 53. DD. in l. 1. §. hoc edicto 3. D. de postulan. Giphani. in tit. D. de procurator. in princ. n. 27. Donell. lib. 18. comm. c. 3. vbi Ofvvald. lit. P. Nouar. hinc n. 1. in h. l. 34. Gratian. 1. tom. discept. c. 57. n. 38. & seq.* Sed de Procuratore, aut administratore aliorum negotiorum, vel alienarum facultatum, *l. curialis 30. C. de locato,* quod est idem ac seruire. Cum verò infamia, vel vilitas pendeat ex communi hominum existimatione, vt docet Bar. *in l. 1. infr. de dignit. n. 62. & 83.* vbi etiam Platea & alij relati à Valenzuel. *hinc n. 4.* Procuratoris officium non ex se reputatur vile, atque ita nec Tabellionis, nec procuratorium officium poterit exercere qui sit infamis, vt multis conclusionibus probat Couar. *d. cap. 19. n. 5. vers. prima conclusio.* Bobadill. *d. lib. 3. cap. 14. n. 43. lit. D. Ofvval. sup. d. lit. P. Farinac. de falsit. q. 155. n. 81.* † Cum enim hæc officia à Principe creentur & 36
concedantur, *l. 1. tit. 25. lib. 4. Recop. l. 2. tit. 19. p. 3.* quamdam dignitatem videntur habere vt vilia non censeantur, *l. 1. C. de mand. Princ. l. 5. in fin. infr. de dignit.* obseruat Roman.

Roman. *ling.* 81. Gregor. *in d.l.* 2. p. Gutierr. *d.g.* 137. n. 23. Paz *in praxi* annot. 4. n. 43. & seq. A. Faber *in Ration. ad l. Pedius* 7. D. de recept. arbitr. Ofvval. *ad Donell. d. cap.* 3. lit. 2.

37 Tota hæc disputatio nil habet commune cum Principum Notariis, quos *Secretarios* vocamus, qui sunt Regibus proximi, & in sua custodia habent regia decreta, & arcana alia grauiissima. Hi apud omnes nationes magno in honore sunt habiti. Apud Hebræos honoratissimum locum obtinent, *Regum* 2. cap. 8. & 23. *Hesher* cap. 33. *in fin.* *Esdras* lib. 1. cap. 7. *Hieremia* cap. 38. notant Carol. Sigon. *de Republ. Hebraor.* & Barthius sæpe citato cap. 1. *in fin.* de Græcis supra commemorauimus num.... Apud Hetruscos idem euenisse patet ex Liuiio *decad.* 1. lib. 2. *Cum stipendium militibus daretur, & scriba cum Rege sedens pari ferè ornatu multa ageret, cumque milites vulgo adirent, timens sciscitari vter Porsena esset, ne ignorando Regem semet ipse aperiret quis esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro Rege obtruncat.* Nam Caius Mutius Scauola, Romanus ille nobilissimus, nullum regio folio dignum iudicauit, nisi scribam, seu Secretarium. † Quapropter huiusmodi homines summa in æstimatione sunt habiti apud sequioris æui Principes, qui aliquando Quæstores, aliquando Referendarij, Notarij, Magistri scriniorum, Scriniarij, Exceptores Principum, primi à secretis, nominantur. *Cassiod. lib.* 6. var. *in formul. Notariat.* *Vopisc. in Aurelian.* l. 1. D. de quæstorib. l. *pracipimus* 32. C. de appellat. l. 1. & 2. C. de mandat. Princip. l. *uniuersa* 7. C. de diuers. rescript. l. *maximarum* 12. *infr.* de excusat. mun. l. 1. & tot. *infr.* de proxim. sacr. scrin. l. 1. & 2. *infr.* de Primicer. *Novell.* 17. 113. & 124. Notant antiqui, Lucas de Penna, & alij, *in rub. de primicer.* vbi etiam Cuiac. V. Volfgan. *Lazius de Rep. Rom.* lib. 2. cap. 4 pag. 125. *Panciol. in Not. Imp.* cap. 14. & 72. & 92. *Petr. Gregor. lib.* 47. *Syntag. cap.* 41. num. 5. & 6. & cap. 29. tot. *Buleng. lib.* 4. de *Imp. Rom.* cap. 4. & 18. & lib. 6. cap. 26. *Gutherr. lib.* 2. de offic. domus *Aug. cap.* 21. & lib. 3. c. 8. & seq. *Gretser. in comment. ad Codin. lib.* 2. c. 5. num. 31. *Salmas. ad Vopiscum* pag. 379. & in ea re fœdè lapsus est *Casaubon. in Vopisci notis* pag. 253. n. 11. inquiens scribas, quos vocamus Secretarios, apud Romanos vile munus fuisse, quod si de his falsum est, de Tabellionibus non minus falsum. † Huius honoris rationem adfert Imperator *in l. vn. infr. de Magistr. sacror. scrin.* Quia nostra quodammodo ad sidere maiestati videntur. & vt rectè ait *Cassiodor. lib.* 4. epist. 4. iure

siquidem de se bene arbitrabitur æstimatum qui regium meretur alloquium: quia dignitas est subiecti affatus meruisse dominantis. ad iicitque *lib.* 6. epist. 17. *Quamuis tantum sit clara quaque dignitas, quantum eam presentia nostra conspectus illuminat (dum semper honorem suscipit, qui nostra colloquia decenter acquirit) nemo tamen sermones nostros tantum meretur, quàm qui referendarius esse dignoscitur, per eum nobis causarum ordines exponuntur, per eum interpellantium vota cognoscimus, & ipsis responsa reddimus, vt negotia compedita soluamus.* † Tempore & 40 sæculo Caroli Magni Secretarius dicebatur *Asecretæ*, vnica dictione, vt videre est ex *lib.* 4. de cult. imagin. cap. 9. quod opus Carolo Magno attribuitur, vbi est *Leontius Asecretæ*, & *Hincmaro epist.* 3. c. 16. obseruant *Cerda in aduersar. cap.* 126. num. 8. & *Gretser. ad Codin. d. lib.* 2. c. 5. num. 31. §. 2. † Vnde cum tanto honore præfulgeant, 41 illustres habentur, & omni honore digni, tum in sessione, honorificentia, assurrectione, præcedentia & veneratione aliorum, vt docet *Belluga in specul. Princip. rub.* 6. fol. 13. num. 17. & ibi *Borrell. Gregor. in l. 7. tit. 9. part. 2. verb. para suspuridades.* *Purpurat. in l. 1. D. de offic. eius cui mand. est iur. à num.* 299. Sunt item de concilio Regis, prout apud nos quotidie nuncupantur, videnti *Boher. decis.* 222. tot. *Mart. Garrat. Laudunens. de Consiliarijs Princip. quæst.* 14. & 27. *in tom.* 16. tract. *Doct. Cassanetis in Catalog. glor. mun. 7. part. consider.* 16. & *Bobadill. lib.* 3. *polit. c.* 14. num. 43.

Vltimò videndum est an Tabelliones 42 nostri temporis prohibitione harum legum comprehendantur, vt non possint admitti ad rempublicam administrandam. In quo dubio *Auendaño de exequenda.* l. 1. part. c. 19. num. 19. *vers. item si ex his* cum *Aym. Crauetta conf.* 163. docet non posse admitti, neque eligi. quod credo verissimum, & ita obseruari firmat *Fontanell. de pactu nupi.* l. 1. tom. claus. 4. glos. 10. part. 1. num. 88. † Et si ipse in gratiam Tabellio- 43 num plura scribat, quæ ego vellem vt vera essent. Quis ergo ad reipublicæ administrationem illum admittet, qui sine officij potestate rempublicam pessundat, qui homines excoriat, qui eo ipso quòd sit Tabellio, videtur à recta & timorata conscientia defecisse. O bone Deus! quanta in illis nequitia, quantum in homines odium, quantus in pecuniam amor. Misereatur illis Deus, & à deuiā illos via reuocet in rectam. Conferunt quæ tradit *Bobadilla lib.* 3. cap. 14. num. 44. † Ita etiam rectè *Ac- 44 curs.* & *Platea in presenti, in fin.* aiunt Tabellio

belliones non posse etiam esse Aduocatos, non quia sit dignitas aduocatio, vt ita ab ea infames repellantur, sed quia ita grauaretur respublica si Tabellionis & Aduocati officium coniungeretur in vna persona.

45 † At verò Aduocatus potest esse Decurio, quoniam ex eius experientia & peritia magis adiuuaretur respublica, docet Barbofa ad leg. *Lusitan. lib. 1. tit. 66. n. 4.*

L E X X V I.

Idem A. ad Hilarianum Procons. Africa.

Si quis Decurio, vel propriæ rei causa, vel reipublicæ, cogatur nostrum adire comitatum: is non ante discedat, quam insinuatō iudici desiderio proficiscendi licentiam consequatur. Quod si pro sua audacia parum aliquis hanc fecerit iussionem, indignationem competentem fortiatur.

L E X X X V.

Imp. VALENTIN. & VALENS AA.
ad Byzacenos.

Curiales vltra terminos propriæ ciuitatis non iubeantur à moderatoribus prouinciarum exhibere sui præsentiam, nisi publica necessitas exegerit.

S V M M A R I V M.

1. Quis sit in præsentī comitatus, quare dictus sacer in l. 1. C. de his qui per met. iud. & in alyis legib.
2. Decuriones sine licentia magistratus non possunt ad curiam Principis ire, quod & in varijs casibus locum obtinere ostenditur, & n. 3.
4. De ratione nostræ legis differitur, quare Decuriones non possint à curijs abesse.
5. L. vnic. infr. si curialis relicta ciuit. vbi Decurio non potest rus habitare, & quid iure regio statuatur circa absentiam Decurionum, & n. 6.
7. Expenditur Aceuedi opinio circa absentiam Decurionum.
8. De amore erga patriam remissiue.
9. Limitatur decisio nostræ legis in casu necessitatis.
10. Decurio an possit cogi suscipere legationem, & de dispositione legum nostrarum quæ de ambasiatis Decurionum loquuntur.
11. An lex Regni quæ de Decurione nominato loquitur, accipienda sit quoque de Decurionibus nominantibus, & n. 12.

1 Comitatus in præsentī est locus vbi propriam sedem fixerit Princeps, aula,

seu curia Principis, vbi Princeps degit, *la Corte del Rey*. Vox vsurpata sæculo labentis linguæ Latinæ puritatis. nam vix est vllum testimonium antiquius rescripto Imp. Diocletiani & Maximiani in l. 2. C. quibus non obicitur longi temp. præscript. & in l. 1. C. de his qui per metum iudicis non appellau. inde dictus ibi sacer, quia imperatorius, iam enim alibi dixi omnia quæ ad Principem spectabant, dicta *sacra*. eam vculam hoc sensu accipiunt frequenter Auctores sequentes post sæculum Iureconsultorum, Symmach. & Ammian. Marcellin. Conciliaque plura, quæ congerit eruditissimus Franc. Iuretus *Miscell. in Symmach. lib. 2. epist. 83. & lib. 3. epist. 74.* Nithard, *lib. 1. de Carolo Magn. & lib. 3. de Regibus.* vide etiam Cuiac. in tit. C. de hered. Decur. Cerd. *aduersar. cap. 168. num. 1.* Barthius *aduersar. lib. 45. cap. 15.* Buleng. *lib. 2. de Imp. Rom. cap. 17. vers. comitatum.* Gutherr. *de officijs domus Aug. lib. 2. cap. 5. post princ.*

In tantum ergo legis nostræ est ne Decuriones propriæ rei, vel reipublicæ causa comitatum, seu curiam Principis adeant, nisi iudici desiderium insinuent, & licentiam consequantur: aliter autem pœna à iudice punientur. Idem in vrbium moderatoribus constituitur in l. nullus 9. C. de offic. Rect. Prouinc. in Episcopis ne proprias sedes & Ecclesias derelinquant. *Auth. de sanctiss. Episc. §. interdicimus.* & in electis Episcopis ne ab aula Pontificia sine licentia recedant. *cap. si postquam 33. §. si verò electus, de elect. in 6.* & in beneficiariis ne à beneficio curato recedant, nisi ex graui causa, & petita ab Episcopo licentia, *cap. 4. & in cap. inter 10. de cleric. non resid.* Quod etiam & nouissimo iure Concilij Trident. *sess. 23. cap. 1. de reform. vers. eadem omnino.* innouatum est, quod explicat Nicol. Garcia de *benefic. 3. part. cap. 2. ex num. 35.* & Barbof. in *collect. d. cap. 1. num. 24.* † Quin etiam & Auditores Senatoresque regij in Audientiis & Cancellariis non possunt, se absentare sine licentia Præsidis, quam ita concedet si iusta absentia fuerit causa, & hæc tantum in decendum, in longius verò tempus necessaria erit Regis licentia, vt constat ex ordination. Cancell. Vallisoletanæ *lib. 1. tit. 2. fol. 23. vers. Porque de ir se los oydores,* & Granatensis *lib. 2. tit. 1. n. 26. vers. los oydores,* & *lib. 2. tit. 6. n. 16.* & ita decisum extat *l. 8. tit. 5. lib. 5. Recop.*

Ratio nostræ legis fuit ne Decuriones derelinquerent curias, sed imò tenerentur curiis ipsi assiduum & sedulam constantemque operam exhibere. *l. decurio 41. infr. h. t.* solebant enim summopere curiarum

rum onera horrescere, vt diximus *in rub.* & inde varias quære caufas, vt ab eis feſe ſubtraherent. Ita qui militiæ nomen dederit, reuocatur ad curiam. *l. qui derelicta* 17. *l. ſi quis decurio* 55. *infr. h. t.* Qui nominati aufugerint & latitant, retrahuntur. *l. ſi ad magistratum* 18. *l. ex omnibus* 31. *l. omnes* 50. *l. quamuis* 51. *infr. h. t.* etiam cum manuum iniectioe. *l. generali* 54. *infr. h. t.* & ſic omnibus caſibus, quibus poſſent à ciuitatibus recedere, occurſum eſt ſupradictis legibus. Aded vt ſi Curialis furtim vt feſe curiæ ſubtraheret, res ſuas vendiderit, emtor in pretij amiſſione multatur, *in l. hi qui* 17. C. *de reſcind. vend.* † Quò etiam pertinet *l. vn.* *infr. ſi Curialis relicta ciuit.* vbi prohibentur Decuriones ciuitates fugere, & in agros ſecedere habitationis cauſa, ſub agri amiſſione, & ita poterit Decurio cogi ſi rure habitat, in ciuitatem redire, vt docet cum Aceuedo Barboſa *ad ll. Portugall. lib. 1. tit. 66. §. 1.* † Hoc tamen benigniùs apud nos procedit. nam *l. 6. tit. 3. lib. 7. Recop.* etſi iniungat vt Decuriones non abſint à ciuitatibus, ſi tamen abſuerint, in ſalarij amiſſione ſolùm punitur, obſeruat Bobadill. *lib. 3. polit. cap. 7. num. 61.* † Quamuis Aceued. *in add. ad Curiam Piſan. lib. 3. cap. 2. num. 3.* ait quòd ſi abſentia fuerit magna, poterit excreſcere pœna, vt grauiùs puniatur vltra ſalarij amiſſionem. Cui ego aſſentirem, ſi lex non eſſet contenta, vt quatuor menſibus ſeruire teneretur Decurio, nam ſi per octo menſes abeſſet, non diceretur magna abſentia, cum lex ei permittat quatuor. Admitterem Aceuedi opinionem, ſi per annum fortè, & dimidium, aut plus, curiæ non inferuaret ſine legitima cauſa, quia conuenit bono publico ne ciuitas careat opera & conſilio Decurionum, & ne paucitate eorum decor & auctoritas curiæ diminuatur. Quapropter multa ſunt iura ſtatuta quibus compelluntur ciues, vt in ciuitate habitent, nec rus ſe conferant, quæ iura æquitati conuenire probat Menoch. *de præſumt. lib. 5. præſum. 12. n. 3.* & 4. † Ne patriam homines deferant, & alibi inhabitent, cum impium ſit patriam non diligere, vt ait Accurf. *in d. l. vnic. infr. ſi Curialis.* cum ſe opponat amori inſito ab ipſa natura, qua ferimur in patriam, vt ſcitè & eleganter docet Domin. Solorzan. *lib. 2. de parricid. cap. 4. & 6.* & Menoch. *ſuprà.* qui rectè id temperat *num. 10.* quando iuſtis de cauſis id fiat, & inter illas connumerat, ſi abſentetur quis virtutis cauſa. nam tunc magis laude, quàm reprobatione dignus erit, vt egregiè probat auctoritate Plutarchi *lib. de exilio*, qui mul-

ros commemorat, qui virtutis cauſa patriam deferuerunt. Nam ob alias cauſas quot homines à patria abſunt? eas eleganter depinxit Seneca noſter *de Conſolat. ad Heluiam cap. 6.* vbi de Romæ frequentia hæc ait. *Carere patria intolerabile eſt? Appi- ce hanc frequentiam, cui vix vrbi immenſa teſta ſufficiunt. Maxima pars illius turba patria caret, ex municipijs & colonijs ſuis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. Alios adducit ambitio, alios neceſſitas officij publici, alios impoſita legatio, alios luxuria opulentum, & opportunum vitijs locum quærens, alios liberalium ſtudiorum cupiditas, alios ſpectacula, quosdam traxit amicitia, quosdam induſtria latam oſtendenda virtuti naſta materiam, quidam vanalem formam attulerunt, quidam vanalem eloquentiam. Iube omnes iſtos ad nomen citari, videbis maiorem partem eſſe qua relictiſ ſedibus ſuis venerit in maximam urbem, non tamen ſuam.* Vnde virtutis cauſa ſemper erit præferenda, vt eſt litterarum, quarum amore exulant à patria quotquot viri Regis ſunt adminiſtri in omnibus ferè totius noſtræ Monarchiæ Senatibus.

Limitant tamen noſtræ legis deciſio-⁹ nem DD. vt non habeat locum quando ad eſt aliqua euidentis cauſa, periculum belli, aut peſtis, neceſſitas ve præciſa, quales connumerantur *in cap. 4. de Cleric. non reſid.* vbi Barboſa *num. 8.* ob quas non poſſit talis licentia à ſuperiore peti. quia tunc poterit abſque licentia licitè recedere Decurio. argumento *l. de pupillo* 5. §. *ſi quis riuos* 11. *D. de noui oper. nunt.* vbi notauit poſt alios Zaſius *num. 4.* & Gothofred. & obſeruant Panormit. Butrius & alij *in cap. inter* 10. *de Cler. non reſid.* Bar. *in l. 1. D. de officio eius. n. 5.* Ripa *de peſte 2. part. num. 143.* Valenzuel. *hic num. 1. in fin.* Ratio eſt, quia neceſſitas legem non habet, *cap. 4. de conſuetud. cap. licet, de ferijs,* cum alijs, quæ adducit Barboſ. *in d. cap. 4. num. 8.* Cauall. *com. contra com. 4. tom. quæſt. fin. num. 50.* & conferunt quæ de neceſſitate diximus *in l. vnic. ſup. vt nemini liceat in emt. ſpec. n. 11.*

Ait lex, *Cogatur noſtrum adire comita-¹⁰ tum.* Ex his verbis colligunt Accurf. Bar. *num. 2.* Platea *num. 1.* & alij *hic,* poſſe Decurionem cogi ſuſcipere legationem, ſeu, vt ipſi aiunt, ambafiatam, & pro hac re ſingularem vocant legem hanc Corſet. *ſingul. 15. & 16.* Valenzuel. *num. 2. hic.* Auiles *in capp. pp. cap. 54. verb. menſajero. cum ſeq. num. 2.* Maſtrill. *lib. 1. de magiſtr. cap. 30. num. 74.* quibus videntur fauere *l. 21. tit. 3. lib. 7. Recop. & l. 39. tit. 6. lib. 3. Recop.* quæ probant Decuriones ambafiatam ſuſci-
pientes

piantes suarum ciuitatum teneri in Regio Senatu presentare institutiones quas ex mandato ciuitatum suarum adferunt, & ne ambasiatores constituantur qui in regia curia, vel Cancellariis habuerint lites, vel propria negotia. Quod si contra fiat, Decurionem nominatum ad expensas, seu salaria restituenda condemnant, & duplum eorum fisco applicandum. quia bono publico expedire visum fuit, nedum propriis negotiis consulunt Decuriones nominati, & solliciti sunt de rebus suis, deserant negotia reipublicæ, cuius expensis suas lites prosequuntur. † Quæ sanè decisio etsi videatur tantum loqui in Decurione nominato, vt constat ibi, *so pena que el tal Regidor o jurado buelba al pueblo que lo embiare el salario.* & sic eum solum punire videatur. Adhuc tamen dices eadem prohibitione comprehendendi municipes & alios Decuriones ciuitatis, quia vitur lex verbis impersonalibus, *Mandamos que no se non-bren para venir a esta corte.* quæ verba indefinita & impersonalia omnes de concilio comprehendunt, cum sit decisio ipsa inhibitiua, & negatiua, vt docent Accurs. & reliqui *in l. 1. C. ne fideiussores dotium den. & in l. à diuo Pio 58. D. de ritu nupt. Iason in l. penul. C. de pactu. Tiraq. de iure primog. quest. 24. num. 10.* † Ac proinde talis nominatio ambasiatoris non valebit, & ipsi nominatores tenebuntur resarcire damnum reipublicæ, & ei restituere salaria, & damna, & interesse ex propriis bonis, vt rectissime aduertit Valenzuel *hic num. 3.* & in hoc casu cessabit nostra decisio, & quod ex ea deduxerunt interpretes, scilicet posse quem compelli suscipere ambasiatam, quia Decurio qui habet proprias lites, minimè ad id cogi poterit, & si contradixerit, à pœna legis Regni videtur excusatus, cum sit sine culpa. Conferunt quæ dixi infra *in tit. de munerib. & honor. circa legatos, seu ambasiatores.*

LEX XX.

Imp. CONSTANTIVS & CONSTANS
AA. Ordini ciuitatis Aedese.

Circensium magistratus de fertores, ad eam grauitas tua faciat necessitatem conditionis urgeri, vt quascumque pro his expensas ciuitas prerogauerit, refundere protinus ac representare cogantur.

SUMMARIUM.

1. De ludis Circensibus qui scripserint.
2. De expensis in his ludis celebrandis fa-

Etis, de pompa & solemnitate, & num. 3. & 4.

5. Magnis sumptibus huiusmodi ludi celebrabantur,
6. Ciuitates & priuati pecuniam ad eorum celebrationem solebant conferre.
7. Sensus verus & germanus huius legis.
8. Error Accursij & antiquorum de officiali aufugiente, cuius expensis reuocandus sit in officium.
9. An fiscus expensas factas pro capienda delinquente recuperet, remissiuè.

Circenses ludos apud veteres summo studio concupitos, magno populi concursu, plausu & solennitate celebratos, nemo est qui ignoret qui mediocriter in literis humanis fuerit versatus. Locus hic de eis differendi non alienam præbebat occasionem, si doctissimorum virorum de eare tractatus non præripuissent laborem nostrum, Onuphrij Panuini & Bülengeri libelli de ludis Circensibus, vbi eius certaminis forma, pompa, solemnitas apprimè describitur, VVolfgang. Lazius *comment. Reip. Rom. lib. 10. cap. 5.* & post eos Cerda *ad Virgil. lib. 5. Aneid. vers. 132. ex num. 1.* Ioan. Sauro *in not. ad Sidon. Appoll. carm. 23. ex vers. 110.* vbi elegantissimè Poëta ludos describit, & notanter explicat Thom. Demster. *in Paralipom. ad Rosin. lib. 5. antiq. ad cap. 5.* & D. Petr. Pantoja, amicus olim noster, Hispalensis Prætorij in criminalibus iudex, immaturo fato cum graui bonarum & sæueriorum litterarum damno è viuus erepto, in erudito commentario de Aleatoribus *in l. fin. ex num. 6. cum seqq.* Ex quibus quæ ad hoc celebre spectaculum pertinent, affatim cognosces. † In eis quantos sumtus fecerint editores & populi qui eos celebrabant, incredibile videtur, ex Dione *lib. 58.* & iis quæ dicam *infr. ad tit. de expens. ludor. & in l. fin. c. 1. infr. h. t.* Pecunia verò quæ in eis ludis erogabatur, etsi aliquando fuerit priuata, plerumque fuit publica, testante Tacito *lib. 1. Annal. Tribuni plebeij petiuere, vt proprio sumtu ederent ludos, qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur, sed decreta pecunia ex arario, vtque per circum triumphali veste vterentur.* † Quantum verò fuerit in his ludis solitum erogari, licet agnoscere ex vno loco Vopisci *in Aureliano*, apud quem Valerianus Imperator ita ait. *Valerianus Augustus. Aelio Xiphidio Præfecto ararij Aureliano dabis ad editionem Circensium aureos Antonianos trecentos, argenteos Philippaos minutulos tria millia in ære HS. quinquagies, tunicas multitas viriles decem, lineas Aegyptias*

ptias viginti, porcos centum, oves centum, conuiuium autem publicum edi iubebis Senatoribus Romanis, & equitibus hostias maiores duas, minores quatuor. † Quid narrem de missilibus quæ in populū spargebantur, vix credi potest quid de præmiis agitatoribus datis, de coronis, de sacrificiis & apparatu? de eis loculenter, vt solet, Tertullian. *de spectacul. cap. 7.* ita, *Sed Circensium paulo pompator suggestus, quibus proprie hoc nomen Pompa, præcedit, quorum sit in semet ipsa probans de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus dethensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exunijs. Quanta præterea sacra, quanta sacrificia præcedant, intercedant, succedant, quot collegia, quot sacerdotia, quot officia moueantur, sciunt homines illius urbis, in qua demiorum conuentus consedit. Ea si minor cura per prouincias pro minoribus viribus administrantur, tamen omnes ubique Circenses illuc deputandi, vnde & petuntur, vnde inquiruntur. Qualiscumque pompa Circi etsi pauca simulachra circumferat, in vno idololatria est. Quævis idololatria sordide instructa, vel modicè locuples, splendida est censu criminis sui.*

5 Ex huius loci serie iuncta lege nostra cognoscimus hos ludos & in vrbe & in prouinciis exhibitos magno sumtu, & ad Duumvirorum urbium, seu municipiorum curam pertinuisse celebritatem, & ciuitates ad pompæ ornamentum pecuniam dedisse, quæ in ludorum celebratione expendebantur. quæ etsi non tam locupletes essent sicut Roma, adhuc tamen splendide exhibebantur, vt ex Tertulliano didicimus. Vnde sine veritate dixit Symmach. *lib. 5. epist. 57.* aliàs est 59. *Animosum impendium quod voluptati ciuium præparabat.*

6 † Cùm priuatorum opes, aut pecuniæ non sufficerent ad ludos edendos, prouinciæ ciuitates & oppida Magistratibus dabant & conferebant, vt ex Cicerone probat Bulenger. *de Circo Rom. cap. 42.* Aliquando ex prædiorum Decurionum venditione sumebatur, *l. fin. in fin. infr. de prædijs decurio. ibi, vel theatralis liberalitatis nomine.* Aliquando ex relictis defunctorum ad id genus ludi edendam, vt constat ex *l. ciuitatibus 122. de legatis 1. l. annuam 6. l. liberto 21. §. Lucius, l. pen. D. de ann. legat.* cum alijs quæ adducemus in *l. vnic. infr. de expen. ludor.*

7 † Hanc ergo pecuniam in præsentem refundere & restituere iubentur magistratus, qui eam in ludorum solemnitate acceperint, & minimè eos ediderint. Ne aliàs magistratus eas pecunias in proprios vsus conuerterent, & voluptate & pecunia de-

fraudantes prouinciales. † Quæ est vera mens huius rescripti, quod non perceperunt Accurs. & reliqui antiqui, qui de magistratibus desertoribus accipiebant Imperatores, vt si officialis magistratum susceperit, & postea eum deserat, cogatur finire tempus officij. Argumentumque sumebant ex hoc sensu, vt possit potestas ciuitatis expendere de ære communi pro persequendo & capiendo officiali fugiente, ipso tamen capto debere per eos refici & restitui omnes impensas ciuitati. quod nequiquam potest ex nostra lege deduci. neque ea doctrina in se vera est. nam si Decurio aufugerit, reuocabitur impensis Decurionis, vt ipsa ratio suadet, & insinuat *l. si ad magistratum 18. infr. h. t.* † Vnde etiã otiosam credo esse illam quæstionem de fisco præferendo creditori in expensis factis pro capiendo delinquente, quam huius loci occasione tractarunt Afflict. *in c. 1. §. & bona, num. 47. qua sint regalia, in feud. Peregrin. de iure fisco. lib. 7. tit. 1. num. 193. Gigas de crim. Matest. vlt. part. tit. de plurib. quæst. q. 12. Caball. res. crim. cas. 102. num. 32. Baïar. ad Clar. lib. 5. §. fin. quæst. 78. num. 169.* Nam, vt rectè scribit Cabrereros *de pæna tripli cap. 6. num. 20.* Princeps tenetur suis sumtibus id facere ex administratione iustitiæ quam subditis exhibere debet. *l. vnic. post princ. C. de mulier. que prop. seru. l. 2. & 3. C. ex quib. caus. seru. pro vram.* & sic non poterit fiscus in eam causam præstitas expensas recuperare, & ob id apud nos statuta est fisci statio, quæ dicitur *de gæstos de iusticia,* ex qua hi sumtus deducuntur quæ omnia cùm nostra lege minimè conueniunt, ideo reiicienda in alium locum propriorem.

LEX XXIII.

Imp. IULIANVS A. Iuliano Comiti
Orientis.

Prouidendum est eorum nouitati Decurionum, qui nuper nomen curiis addiderunt, ne præteritis debitis susceptorum onerentur: sed conuentis propter hæc debita his, qui ea præcedentibus delegationibus contraxerunt, nullam eos molestiam pro sarcina nominationis alienæ sustinere patiaris.

SUMMARIUM.

1. Decuriones de nouo electi non tenentur pro mala gestione susceptoris à prædecessoribus electi.
2. Contra æquitatem naturalem est pro alienis debitis molestari, & ratio exornatur, & num. 3.

4. Succes

4. *Succedens in officio non succedit in obligationibus prædecessoris.*
5. *Qui in decurionatu succedit, non representat prædecessoris personam.*
6. *Succedens de nouo non soluit debita contracta, neque ciues noui soluere debent collectas veteres.*
7. *An successor in officio, vel dignitate teneatur ex mutuo contracto à prædecessore.*
8. *Expenditur in proposito dicta questionis l. si pupilli 6. §. i. D. de negot. gest.*
9. *Rektor ciuitatis si acceperit mutuum in opus publicum, tenebitur successor, aut ciuitas.*
10. *Successor in maioratu an teneatur ad debita prædecessoris, & n. 11.*
12. *Successor in Regno an teneatur ad debita prædecessoris. explicatur l. 4. tit. 15. part. 2. reprobaturque ad eam communis interpretatio, & vera proponitur, & n. 13. 14. 15. 16.*
17. *An successor in maioratu teneatur stare locationi, remissiue.*
18. *Inuehitur in rabulas forenses & iudices de comision o pesquisidores.*
19. *L. iure 5. infr. de fabricensib. l. fin. infr. de naufragio, cum alijs declarantur, & n. 20. & 21.*
22. *Explicatur & exornatur l. vnic. infr. vt nullus ex vicaneis. & 23. & 25. & quid de iure regio, & n. 26.*
24. *De iure illo oppidanorum quod dicitur in Granatensi curia de la Poblacion.*
27. *Examinatur statutum Italia, quo cauetur vt si damnum contingat viatori, teneantur soluere vicini & proximi pagani, & n. 28. & 33.*
29. *De ratione l. 4. tit. 7. p. 5. exornatur & explicatur, & 30. 32.*
31. *Euntibus ad nundinas magna priuilegia conceduntur, remissiue.*
34. *Detestatio pœnarum de cercania, qua in pluribus oppidis iniunguntur eis, qui damnum non dederint.*
35. *Repressalia qua sint, & an sint prohibita.*
36. *De clarigatione antiqua Romanorum, remissiue.*
37. *Androlepsia qua fuerit apud Græcos.*
38. *Quid sit pignatio, & qua ratione introducta fuerit.*
39. *Repressalia auctoritate publica fieri possunt.*
40. *De repressalijs decretis à Rege nostro contra Francigenas.*
1. **S**uceptores qui publica tributa exigebant è corpore Decurionum creabantur. l. 5. supr. de exact. trib. l. 1. supr. de apochis publ. l. exactores 8. infr. de susceptor. Hi si delegationibus à superiori acceptis, quibus modus & ratio tributorum exigendorum continebatur (vt dixi ad tit. supr. de exact. tribut.) malè fuerint versati, ceteri Decuriones, qui de nouo in eorum locum successerunt pro debitis, quæ durante officio susceptoris contraxerunt, non tenebuntur, cum ipsi eos non nominauerint, nec debeant pro alienis debitis molestari. † Rationem adiicit l. vnic. infr. vt nullus ex vicaneis. quod non solum graue sit, verum & æquitati naturali contrarium, pro alienis debitis alios molestari, l. hac diffinitione 12. infr. de omni agro deserto. l. 4. infr. de executor. & exact. l. si quis in suo 33. §. legis. C. de inoffic. testam. l. 1. l. 3. in fin. C. ne vxor pro marito. Auth. Habita, vers. nec ob alterius. C. ne filius pro patre. l. licet 7. supr. h. t. Nouell. 52. quæ est Auth. vt non fiant pignorationes cap. 1. ibi, Non enim habet rationem, alium quidem esse debitorem, alium vero exigere, sed nec alteri molestum esse pro altero quodam tamquam inuasionem, aut iniuriam committentem. Auth. vt nulli iudicum. §. quoniam vero, & §. quia vero el. 1. l. 1. tit. 17. lib. 5. Recop. cum adductis à Bobadill. lib. 2. polit. cap. 21. num. 250. † Confert eleganter Cassiodor. lib. 4. ep. 10. His multo acerbiora iungentes alienis debitis ad solutionem alios trahi, solamque causam probabilem videri si aliqua debitori potuit in ciuitate coniungi. O iniquum persuasionis errorem! Diuiduntur cause germanis, filius obligationibus paternis si non sit heres, exuitur. Vxor maritalibus debitis, nisi per successionis vincula, non tenetur, & audacia ad solutionem trahit extraneos, cum absoluant iura coniunctos. & epist. 14. Magni peccati genus est alienis debitis alterum prægrauare. Quapropter cum Decurio prædecessor qui electus fuit susceptor tributorum, ipse debita contraxerit in eo munere exactiois, & in eius defectum conueniantur hi, qui illam elegerunt, vel nominarunt. l. 1. infr. de peric. nominat. l. super creandis, supr. de iure fisci, nouiter electus Decurio minimè tenebitur pro talibus debitis alienis. † Vnde successio, seu subrogatio muneris, aut officij, non debet parere subrogationem respectu obligationis & debiti, quoniam cuiuslibet personam respicit cuiusque propria obligatio, vel crimen, argumento l. sancimus 22. C. de pœnis. l. non debet 74. de reg. iur. iunctis adductis à Couar. lib. 2. var. cap. 8. in princ. Gutierr. lib. 2. canon. cap. 30. Caballo resolut. crim. cas. 250. ex num. 2. Farinac. de delict. & pœn. quæst. 24. num. 1. & 150. & à me lib. 2.

5 *lib. 2. obseru. cap. 6. num. 47. & seqq.* † Quare cum ille, qui ad decurionatum vocatur, non veniat tamquam successor hereditarius vniuersalis, qui cum eadem persona cum defuncto reputetur, illius obligationes & onera in se suscipit, *l. heres in omne 37. D. de acquir. hered. l. heredem 59. l. hereditas 62. l. inuitus 156. §. cum quis. l. in his 175. in fin. de regul. iur. Auth. de iureiuran. à morien. prest. in princ. cum traditis à Donnell. lib. 6. comm. c. 2. Pichard. in rub. Inst. de hered. instit. n. 15. & seq. Schifordegh. ad Ant. Fab. lib. 2. tract. 16. q. 1. & 2.* Sed veniat tamquam singularis, aut particularis successor, qui in locum Decurionis est subrogatus, cum sui prædecessoris personam non repræsentet, neque ex acceptatione officij se obligauerit ad debita, neque æris alieni obligatio afficiat decurionatum, vt aliàs dixit IC. *in l. 1. §. si heres 16. D. ad Trebellian. & Imp. in l. aris 15. l. si patri 24. C. de donatio. l. si. C. de hered. actio.* rectè constitutum est hac lege ne vrgeatur Decurio nouiter creatus ad debita prædecessoris. notat in proposito cum Bobadill. *lib. 3. polit. c. 8. ex n. 72. & seq. & aliis Rodriquez de executio. c. 4. n. 31. & seq.* vbi latè examinat eam quæstionem, an Decuriones teneantur pro debitis vniuersitatis nomine à se contractis, de qua etiam diximus *in l. nulli, supr. de exact. trib.*

6 Ex quibus inferebat Bar. Platea & Pyrrhus, successorem in officio non teneri pro debitis prædecessoris, & ciues nouiter receptos non teneri ad collectas, quæ pro veteribus debitis imponuntur, neque eum, qui nouiter ingreditur collegium, teneri contribuere in collecta quæ pro debitis antiquis imponatur. quam sententiam amplectuntur Corset. *sing. 46. verb. collecta.* P. Rebuff. *in l. pupillus 239. §. incola, vers. quinto. de V. S. Roman. cons. 490. & Valenzuel. hic n. 2. Bobadilla lib. 3. polit. c. 8. n. 72. in pr. Accued. in Cur. Pisan. lib. 2. c. 18. n. 38.*

7 Sed dubium est, an successor in officio, munere, aut dignitate teneatur ex mutuo contracto à prædecessore? Quam quæstionem exagitant *in presenti* Bar. Platea & Valenz. *n. 4. DD. in c. 1. de solutionibus*, vbi Barbof. *in collect. Cenedo collect. 86. ad Decretal. Fachin. lib. 2. controu. c. 78. vers. altera.* Mieres *de maiorat. 4. p. q. 26. tot. & maxime n. 44.* Giurb. *in consuet. Messan. c. 9. gl. 2. p. 1. ex n. 10.* Castillo *infra* referendus. & ferè omnes sequuntur distinctionem *d. c. 1. de solut.* inter mutuum contractum ratione dignitatis, aut officij, vel ratione vtilitatis propriæ, vt in primo casu soluere teneatur successor, non verò in secundo, iuxta legem *De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. I.*

nostram, iuncta *l. 3. D. de interdicit.* † Pro quo adferri potest *l. si pupilli 6. §. 1. D. de negot. gest.* vbi si quis Procuratori meo dederit mei contemplatione vt pignus meum liberet, vel creditorem liberet, (id est, vt interpretatur Cuiac. *ibi lib. 3. Digest. Iulian.* vt absolueret creditorem, nisi mauis dicere, id est, vt creditum liberet, seu debitum, vel dedit pro meo creditore) habet aduersus me negotiorum gestorum actionem, quia qui contraxit cum Procuratore contemplatione domini, non id egerit vt Procuratorem sibi proprio nomine obligaret, sed vt negotia domini gereret mediante persona Procuratoris, qui nihil nisi ministerium hoc casu præstare intelligitur. *l. licet 15. D. de constit. pecun. l. si quis solutionem 24. vers. nec hoc. D. de usuris. l. quod meo 18. D. de acquir. poss. & semper in numerationibus illud obseruatur, vt non tam inspiciatur cui pecunia detur, quam qua mente & proposito. l. 2. §. penul. l. certi 9. §. si nummos. l. non omnis 19. D. si cert. petat. l. liberto 31. in princ. D. de negot. gest. notat Ant. Fab. in Ration. ad d. l. 6. §. 1. vbi etiam Cuiac. lib. 3. Digest. Iul. Quod etiam & in nostro casu dicendum est, quia cum mens & intentio eius, qui pecuniam mutuam accepit, ea fuerit, vt pro vtilitate Ecclesiæ, officij, aut dignitatis cederet, attenditur quod principaliter actum est, non verò quod contractum fuit. *l. ciuitas 27. D. si cert. pet. l. eum qui 13. C. eod. l. sicut 7. vers. sed in legato. D. quod cuiusque vniuers. cap. significauit 36. de rescriptis.* † Quapropter si Re- 9ctor ciuitatis in opus publicum aliquid mutuauerit, non tenebitur ipse, sed ciuitas, in cuius vtilitatem versum est, & successori incumbit executio, si imperfecta res relicta est, & ad onera tenebitur, vt quemadmodum prædecessor tenebatur, ita & ipse successor, vt rectè firmat Bobadilla *lib. 3. polit. cap. 5. num. 19.* Quis autem in supradicta quæstione tenebitur probare versum fuisse mutuum in vtilitatem ciuitatis, dignitatis, aut officij, disputant DD. *in cap. penul. de fideiussor. Fachin. lib. 2. controuers. cap. 77. Menoch. de arbitrar. cas. 432. & de ea disputatione videndi erunt Gratian. 1. tom. discept. cap. 196. toto. & Hermosill. in l. 3. tit. 1. part. 5. glos. 6. ex num. 1.**

Huic disputationi finitima est illa, an 10 maioratus successor teneatur ad debita prædecessoris? de qua agunt DD. per textum *ibi in cap. 1. an agnatus, vel filius defuncti, in feudis.* Lucas *in l. 2. infr. de fundis rei priu. n. 12.* Greg. *in l. 4. tit. 15. p. 2.* Molin. *de primog. lib. 1. c. 10. Cened. collect. 76. ad Decretal.*

cretal. n. 3. & alij plures, relati à Valenz. *hic* n. 6. & vnus pro omnibus, qui omnes congerit, D. Ioan, del Castillo 6. tom. *controu.* c. 161. ex n. 22 qui hoc dubium pluribus casibus propositis solent explicare, vt debita institutoris maioratus soluere teneatur successor, quoniam cum bona non dicantur nisi quæ deducto ære alieno supersunt, l. *Papinianus* 8. §. *quarta autem, de inoffic. test.* l. *mulier* 73. D. de iure dotium, l. *si quis seruum* 8. §. *fin. cum l. seq.* D. de legat. 2. l. *substitutum* 39. §. *bona, de verb. sig.* non poterit maioratus institutor efficere quominus res ipsæ non sint talibus debitis obnoxia. l. *filiiusfamil.* 114. §. *Diui* 14. D. de leg. 1. ibi, *sed hac neque creditoribus, neque fisco fraudi esse.* & ita vendi poterunt ad solutionem debiti etiam bona maioratus aliis bonis deficientibus. explicant post Molinam Castillo *sup.* n. 23. cum seq. & Barbof. in *remiss. ad ll. Lusitan.* lib. 3. tit. 93. n. 1. † At si debita contracta non sint ab institutore, sed à prædecessore, qui non fuit institutor, dices, debita contracta contemplatione maioratus pro eius utilitate, aut conseruatione teneri successorem præstare, quemadmodum diximus supra de debito facto contemplatione officij. probat Molin. & Addit. d. lib. 1. c. 10. n. 24. & Castillo n. 30. *sup.* At verò si ob necessitatem maioratus contracta non sint, neque ex regia facultate, tunc successor nisi heres fuerit prædecessoris, qui debita contraxit, non tenebitur, quia in bonis maioratus non succeditur vltimo possessori, sed primo institutori, vt frequenter receptum extat ex Pinello in l. 1. C. de bon. mat. 3. p. n. 99. Molin. lib. 1. cap. 8. num. 2. Castillo *sup.* num. 34. *vers. cum autem.*

12 Sed obstat grauiter l. 4. tit. 15. p. 2. vbi dicitur successorem in regno teneri debita prædecessoris soluere. Nam quemadmodum tenetur Rex contractus à se gestos obseruare, l. *donationes quas Diuus.* C. de donat. inter vir. cum traditis à Giurb. *cons.* 94. n. 6. ita etiam & successor, vt docent plures apud eundem Giurb. n. 7. quod indicat esse heredem. l. 1. C. si cert. pet. l. 2. l. fi. C. de hered. act. cum aliis quæ scripsi in l. 1. *sup.* de annon. & trib. n. 91. & seq. & Paz de tenut. 2. p. c. 85. ex n. 7. Cui respondendum est cum Gregor. ibi, Molin. d. cap. 10. n. 30. Meneses in l. vnum ex familia, §. si de falcidia, n. 7. & 8. D. de leg. 2. Valenz. *hic* n. 7. & cum aliis, quos plena manu congerit Robles de represent. lib. 3. c. 16. n. 47. & 48. loqui eam legem de successore Regni, qui est heres in bonis liberis prædecessoris, vt indicant ea verba, *Porque finca en su lugar e creda sus bienes. & infra, que como gana la onrra e el pro de aquel*

aquien creda. † Secundo loqui de honestate, nõ de necessitate, quod constat cum lex illa constituat teneri quoque successorem erogare eleemosynas pro anima Regis defuncti, hoc tamen ad solam honestatem & decentiam pertinet magis, quam ad necessitatem.

Ab hac tamen interpretatione rectissime discessit Valenzuel. *sup.* *vers. ego tamen.* Garcia de expens. c. 16. num. 15. *vers. sed hæc & de nobil. gl.* 1. §. 1. n. 10. & seqq. & Robles n. 49. *sup.* quod sit diuinatorium dicere eam legem loqui in successore herede, tum quia verba non solum honestatem, verum & obligationem præcisam continent, ita enim ait lex. *Tenudo es por derecho e por bien estança de hacer estas cosas por el Rey finado & eorum rerum adaptat exempla, quo ad honestatem, A si como dar limosna e facer decir misas.* quo ad necessitatem verò subiicit, *e otro si en pagar sus deudas e cumplir sus mandas. e segun justicia e derecho como querria que le ficiesen a el en muerte asi lo debe facer por el anima del finado.* Ex quo constat, omnia verba magis necessitatem præcisam continere, quam honestatem. quia illa vox *estança* non significat causam honestatis, quæ excludat veram necessitatem, sed decentiam illam, quam in exequenda necessitate & obligatione sua Princeps habet, qui cum sit legibus solutus, & vi coactiua non adstringatur, obligatur tamen decentia, honestate, pudore dirigente in custodia legum. l. *digna vox* 4. C. de legibus, cum iis quæ in eo proposito congeffimus lib. 1. *obseru. c.* 1. ex n. 91. cum seq. † Quibus difficultatibus non potuit satisfacere Robles d. cap. 16. n. 52. & 53. defendens vulgarem interpretationem eius legis, vt de honestate loquatur, quæ nititur æquitate & obligatione naturali, cui iustum est æquum & bonum virum satisfacere, iuxta tradita à Conan. lib. 5. *comm. c.* 8. n. 2. Vaconio lib. 1. *declarat.* 17. n. 6. & *declar.* 21. n. 17. Donell. lib. 12. *comment. c.* 2. quæ obligatio etsi aliquos effectus habeat, tamen nullo modo compellimur eius virtute ad dandum, vel faciendum, cum multa honestum est facere, ad quæ non possumus compelli. & de hac obligatione & iure intelligit illa verba *tenudo es por derecho.* Sed cum conuincit supra adducta expensio, etiamsi in suam opinionem adducat Castill. lib. 3. *controu. cap.* 19. num. 127. cum non possint de eo iure ea verba accipi.

His ergo relictis interpretamentis verius accipio illam legem partitæ, vt specialiter loquatur in Principe, cuius successio iure sanguinis in regno ita coniuncta est cum

cum successione hereditaria, ut vna ab alia separari nequeat. ita probatur *in cap. licet vniuersis 6. de voto* (vbi rectè notauit Bernard. *verb. priuandum, vers. vel melius dic.*) & *ex l. 2. & seq. tit. 15. part. 2. l. 8. tit. 12. ead. part.* quæ cum loquuntur de regni successione, semper vtuntur *verb. eredar,* & earum argumento Robles *d. cap. 16. num. 13.* cum pluribus à se relatis, tenet Regnum semper deferri iure hereditario, quod non respuunt verba *d. l. 4. ibi, Caderecho es que como gana la onrra el pro de aquel aquien ereda.* notant Costa *de success. Reg. Portugall. pag. 140.* Castillo *in l. 40. Taur. quest. 16. Boher. decis. 204. Valenzuel. d. n. 7. vers. quapropter.* congruunt tradita à Molin. *lib. 3. cap. 6. ex num. 7.* & doctrina Oldraldi *cons. 94.* quem sequuntur multi relati à Tiraq. omnino videndo *de primog. q. 35. num. 3. & 25. & 26. & Paz de tenut. d. cap. 85. num. 7.* & Castillo *tom. 6. contr. cap. 164.* vbi agunt an remedium tenuræ competat Regi sicut aliis maioratum successoribus. & ratio est, quia Rex dum viuuit, intelligitur possidere Regnum tamquam proprium patrimonium. *l. bene à Zenone. C. de quadrien. prescript.* Quare bona regiarum coronarum donare potest, *cap. Abbate, de sent. & re iud. lib. 6. cap. inter dilectos, de iureiurand. l. 1. 3. & 4. l. 16. & 17. tit. 10. lib. 5. Recop.* vbi DD. cum adductis à Hermosill. in Gregor. Lopez *glos. 1. l. 9. tit. 4. part. 5. n. 37. & 38. pag. 286.* & ab Addit. Molin. *lib. 1. de primog. cap. 3. num. 17. & 18.* & Castillo *lib. 5. contr. c. 89. n. 85.* Ac proinde regnum ipsum potest obligare & consequenter successorem in Regno. † His quæstionibus alia sunt similes, an teneatur successor in maioratu stare locationi, an in iis, quæ pro necessaria sustentatione personæ, pro impensa funeris, pro litibus super bonis maioratus contracta sunt, soluenda sint à successore. de iis videndi supra adducti & Castillo.

18 Hinc etiam sumit rectè occasionem inuehendi contra eos iudices, qui dicuntur *Pesquisidores, aut jueces de comission.* Bobadilla *lib. 2. c. 21. n. 250.* qui cum à personis, contra quos procedunt, nihil possint de salariis extorquere, solent contra alios in sua commissione non comprehensos, imò qui nullam culpam contraxerunt, irrumpere, & salaria subducere, velint, nolint. A quibus ego vellem edoceri, quo iure id faciant; sed cur regulas iuris ab eis expostulo, ab eis Harpyiis forensibus, hirudinibus generis humani, qui nec sanguine miserorum satiari queunt.

19 Quæ huc vsque diximus, pro nostræ *le. De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. 1.*

gis exornatione difficilia redduntur, ex *l. iure 5. infr. de fabricensib.* vbi probatur, ut quod ab vno ex numero committitur, totius delinquatur periculo, & vnus damnum in omnium cedat dispendium. quod idē statuitur *in l. si. infr. de naufragio, & in l. si. C. de heredit. decurion.* & in aliis speciebus aduertunt *l. cum eiusdem 34. in princ. D. de adilit. edict. l. 1. §. si plures 13. D. de exercit. act. l. 2. §. filij autem. C. de libertis.* Sed his iuribus respondendum est, illam legem loqui specialiter in fabricensibus, qui quoddam corpus, seu collegium componebant. *d. l. fin. C. de hered. decur.* destinatum ad arma in publicis fabricis fabricanda, & cum omnes, qui in ea re laborarent, vnum corpus intelligeretur, si aliquis eorum aliquid decoxerit, vel interceperit, aut sustulerit, cæteri coguntur satisfacere, tamquam si omnes id fecissent, ita ut vnus alterius actus custodiat, & animaduertat, quia corpus magis censetur, quàm particulares persone, argumento *l. plerumque 35. l. Labeo 64. §. 1. cum alijs. D. de adilit. edict.* expedit enim reipublicæ ut ea materia fideliter custodiat, ut dicā, si Deus voluerit, *in tit. infr. de fabricens. †* Ita eodem modo & in naufragio, *in d. l. fin. de naufr.* ad totum corpus pertinet, quia omnes de collegio tenentur tamquam sub illo corpore contenti, quemadmodum si agmen, aut chorus comædorum vendatur, non sunt plures venditiones, etsi plures ferui sint, sed vna venditio. *l. cum eiusdem 34. l. si plura 36. l. adiles 38. §. fin. cum ll. seqq. D. de adilit. edict. †* Eodem modo etsi 21 magistri non diuisis officiis nauem exercent, quod vnus gerit, alterum obligat, quia cuiuslibet in solidum commissa videtur, ut *ibi* rectè aduertit Accurs. *verb. exercitorem,* quæ sequuntur Bar. & reliqui *ibidem.* Quare dictæ leges non sunt ad alios casus protrahendæ, nisi in quibus loquuntur, cum æquitas naturalis in contrarium suadeat, ne aliquis aliorum debitis obligetur, ut diximus, & probat Gutier. *lib. 2. canonic. q. 30.* conferunt Farinac. *1. tom. crim. q. 24. tot. & quæ adduximus lib. 2. obseru. c. 6. n. 48.*

Vnde venit explicanda decisio *l. vn. infr. 22* ut nullus ex vicaneis pro alienis vicaneor. *debit. teneatur.* quæ prohibet neminem pro alio teneri ob id solum quod sit eiusdem ciuitatis, vel vici. Vicaneus pro vicaneo non tenetur. Vicaneus est, qui habitat in vico, vel pago. sicut vicinales viæ dicuntur *in l. 3. D. de locis & itin. l. 2. §. viarum 22. D. ne quid in loco publ.* quæ de publicis viis diuertitur in agros, & quæ ex vicis in vicos ducunt, ut obseruat Briffon. *verb. via* quæ transcripsit Schard. *eodem verbo, & Gruter.*

ad Senec. lib. 5. de benefic. cap. 24. vbi & Lipsi
& ante omnes docuit Vlp. in d. l. 3. de locis.
& in d. §. viarum. apud nos dicuntur las ve-
redas o sendas que van de un cortijo a otro
23 o de una alqueria o pago a otro. † Sed no-
men *Vicanus*, vel *Vicaneus*, nusquam apud
aliquem auctorem memini me legisse, ni-
si in titulo illo, vt nullus ex *vicanus*, licet
ibi antea perperam legeretur *Vicarius*, nul-
lo sensu. *Vicanus* ergo à vico (sicut pa-
ganus à pago) est rusticanus, seu prædij fi-
scalis colonus, qui cum cæteris, qui in eo-
dem territorio sunt, possessiones colit. So-
lebat filcus vnum ex his, qui locupletior
fuiisset, in solidum conuenire pro vniuersis
possessoribus vici, aut pagi expediendi ne-
gotij causa, vt docemur l. cum possessor 5.
D. de censibus. l. hac diffinitione 12. l. iube-
mus 16. infr. de omni agro deserto, vbi qui in
d. l. vnic. dicuntur *Vicani*, in his ll. vocan-
tur possessores, *municipes*, & *curiales*. † Hoc
24 ferè ius animaduertitur hodie in municipi-
bus, quæ in Regio Granatensi Prætorio
dicuntur *De la Poblacion*. Nam cum Mo-
risici defecissent, & eorum possessiones &
agri in fiscum cogerentur, diuisa sunt in
fortes oppidorum domus, agri, horti, fundi
& cætera id genus, & nouis oppidanis di-
tributa, modico censu imposito, ad quem
omnes in solidum tenentur, vt ita exacto-
res regij à quolibet omnia tributa possint
exigere. quia omnes *municipes* oppido-
rum in solidum obligati sunt. † At in dictis
iuribus contra erat, & id cum animadu-
25 teret Zeno Imp. esse contra naturalem æ-
quitatem, vt diximus, constituit ne pro de-
bitis alienis conuicani alter teneatur, sed
pro gleba propria, seu possessione tantum
quisque conueniatur, nec etiam pro alio-
rum delictis. † Idque Iustinianus quoque
26 constituit in d. Auth. vt nulli iudicium. §. quo-
niam verò, & §. quia verò. & Reges nostri in
l. 7. tit. 17. lib. 5. Rec. prohibent ne pro debi-
tis vniuersitatis fiat executio in bonis par-
ticularium. facit quoque l. 13. tit. 2. p. 3. ibi,
no pueden a premiar por ella a personas ci-
uiles. & rationem ponit IC. in l. sicut 7. §. 1. D.
quod cuiuscumque vsu. nom. docent plures
apud Gutierr. de gabell. lib. 7. q. 168. tota, &
n. 3. & Rodriguez de execut. c. 4. n. 34. vers.
sed cum ciuitas. & cum solerent fratrum
concilij de la Mesta bona capi pro debitis
concilij, talis consuetudo damnatur. quod
etiam notauit Matienz. glos. 1. & Ace-
ued. ibi. & in proposito est l. 15. tit. 10.
part. 7. vbi Gregor. videndi Caball. Farinac.
& alij supra.

27 Ex iis venit improbandum statutum quo
vtuntur Italiæ aliqua regiones, cuius me-

minit Castrensis in l. omnes populi, in fin. D. de
iust. & iur. Menoch. de arbitrar. cas. 345. n.
14. & 15. & Surd. decis. 340. & ante omnes
Panorm. in c. 1. de restit. spol. n. 8. vbi eius ad-
dit. & Bald. cons. 174. vol. 2. quo cauetur
vt si quid damni datum sit viatori, tenean-
tur proximi pagani id refarcire. Nam eius
durities est contra naturalem æquitatem,
vt agnouerunt Bald. in l. sancimus. C. de pæ-
nis. Lucas in d. l. iure, infr. de fabricens. & alij
relati à Farinac. d. q. 24. n. 150, & 189. &
Grammat. decis. 47. & relati à Surd. supr.
n. 1. etsi enim mens & intentio legis muni-
cipalis ea fuerit, vt tuta essent itinera, ta-
men non ita hæc ratio valida est, vt vincat
aliam longè superiorem, naturæ & iuri con-
uenientissimam, ne quis pro alterius deli-
cto teneatur, argumento l. 2. C. qua sit longa
consuet. & ita disertè videtur docere Iustin.
in d. Auth. vt nulli iudic. §. quoniam verò 4.
illio, Quoniam verò contingit adulteria,
aut homicidia, aut alia qualibet crimina in
prouincijs committi, iubemus peccantes tene-
ri, & non alios pro alijs. † Quæ ratio non
28 eneruatur ex traditione Bar. Bald. & alio-
rum, quos adducunt Farinac. & Surd. supr.
quod statuta quæ hoc permittunt, si fiant
cum aliqua rationabili causa, valent, quia
iniquitas illa temperatur ratione. Nam de
ratione non dubitamus, cum tale statutum
etiam si aliam rem longè faciliorem conti-
neret, si tamen rationem non haberet, non
esset lex, nec valeret. cap. erit autem 4. dist.
hoc enim supponimus tamquam certum,
vt rationem debeat continere! nego ta-
men eam rationem validiorem esse, quàm
suprà adducta. † At autem si cum illa ra-
29 tione, vt tuta sint loca & itinera, aliæ plu-
res rationes concurrant, dixissem ego ta-
lem legem valere, quia tamquam fortio-
res & vtiliores rationes vincerent & supe-
rarent eam, ne quis ex delicto alterius te-
neatur. Exemplum præstat l. 4. tit. 7. part. 5.
vbi si in nundinis & mercatis publicis,
mercatori ad ea venienti, violentia sit fa-
cta, vel depraedatio bonorum, non inuen-
to prædone, nec eius bonis sufficientibus
concilium loci, vel dominus, sub cuius do-
minio est locus ille, in quo committitur præ-
da, tenebuntur ablata refarcire, vt constat
ex illis verbis, e silos robadores non pudie-
ren ser fallados nin los bienes dellos non cum-
plieren a hacer la enmienda el concejo o
el señor so cuyo señorío es el lugar do fue
fecho el robo ge lo de ben pechar de lo suyo.
quam legem conatur explicare Gre-
gor. ibi verb. el concejo. qui in eam in-
clinat explicationem, vt intelligatur de
concilio ciuitatis, aut de domino, qui
potuit

potuit prohibere deprædationem, & non prohibuit, iuxta notata à Farinac. *d. q. 24. num. 201. & seq.* † Quod fanè diuinatorium est, cùm generaliter & indistinctè lex loquatur. Ego fanè eam intelligerem specialiter in deprædatione, seu *robaria*, vt loquuntur practici, facta mercatori ad nundinas venienti, tunc enim militat ea ratio, vt tuta sint loca & itinera, item vt securitas publica venientibus mercatoribus seruetur, quod nisi fieret, in magnam perniciem tenderet commerciorum, in quibus tota vertitur vtilitas publica, cùm ita ciuitates sint ditiores & abundantiores tum hominibus, tum rebus, vt eleganter ipsa lex in principio docuerat illic, *las tierras e los lugares en que usan los mercaderes allebar sus mercaderias son porende mas ricas e mas abundadas e mejor pobladas. l. 1. C. de nundinis. l. 1. & toto tit. 20. lib. 9.*

31 *Recopil.* † Ob idque euntibus ad nundinas magna sunt priuilegia concessa, quæ sedulò commemorant DD. in dictis iuribus, maximè Narbona *in d. l. 10. Recopil. glos. 1. & 2.* & alios referens Osval. *ad Donell. lib. 24. cap. 7. lit. Q. & R.* † Vnde cùm maiores rationes in dicto casu legis partitæ militent, congruum fuit, vt propter deprædationem teneantur ciuitates & domini, quibus vtile fuit ius nundinarum, & ita eis imputatur qui itinera secura habere debuerunt, & loca malis hominibus purgare. *l. congruit 13. D. de officio Præs. iuncto Farinac. d. q. 24. n. 201. cum seqq. Menoch. sup.* Aliud exemplum adduci potest ex Zurita *tom. 6. annal. Aragon. seu de Rege Cathol. lib. 8. cap. 10.* qui de eo Rege asserit vt pacatum haberet Regnum Granatæ, inter alia disposuisse, vt nouiter conuersi tenerentur damna publica committentes tradere, aut damna refarcire, & ad hunc effectum incolas eius terræ sibi inuicem fideiussores extiterunt. quod iure quidem fiebat, vt terra illa Maurorum inuasionibus exposita ita tueretur. † Sed antequam discedam à Paulo Castren. *vbi supr.* eius doctrina in eo falsa est, dum existimabat eo statuto, vt pagani viatori teneantur damnum refarcire, non comprehendi alienigenas, seu, vt Pragmatici loquuntur, *forenses.* nam cum reicit Alciat. *lib. 6. parerg. cap. fin.* siquidem cùm intentio legis fuerit vt itinera tuta essent, magis videtur comprehendisse alienigenas & peregrinos, quàm vicinos iter facientes. Idque probat Alciatus auctoritate Aristot. *lib. de mirabilib.* qui ait in via Herculea, quæ ducit in Hispaniam, eam legem fuisse, vt si viator, qualiscumque esset, aliquid damni

De Amaya in tres libb. post. Cqd. Tom. I.

pateretur, ad incolarum damnum pertineret. † Item & hinc improbanda est consuetudo, quæ pluribus in locis Hispaniæ obtinuit, vt si oues, aut vaccæ, seu boues aliquod damnū in pratis defensis, vel vineis, oliuetis, vel fegetibus fecerint, & non appareat de damnatore, dominus eius gregis qui propius circa loca damno affecta depascitur, tenetur damnum refarcire, & huiusmodi pænæ dicuntur *decercania*, de qua re multas lites vidi in hac curia, & iuxta consuetudinem ad damnum soluendum cōpulsos coram auditoribus querelas proponentes. quos ego absoluerem cùm irrationabilis videatur mos, qui pro alienis debitis & damnis innocentes condemnant.

Rursus ex supradictis descendit pignorationes, quas vulgus vocat *Represalias*, omni iure esse interdictas, tum Canonico, tum ciuili & regio, *Novell. 52.* quæ est *Auth. vt non fiant pignorationes, c. 1. de iniurijs lib. 6. l. 1. & toto tit. 17. lib. 5. Rec.* Has veteres clarigationes appellasse, vult Alciat. quem refert Tiraq. *in l. si vniquam, verb. reuertatur n. 147.* & videtur consentire Gothofr. *in d. l. vnic. infr. vt nullus ex vicaneis.* Marcell. Donat. *in elucidat. ad Liuium lib. 8.* ad illum locum *in Veliternos veteres ciues Romanos, pag. 17. & 18. tom. 6. Thesau. Criticor. & P. Greg. lib. 38. syntag. c. 8. n. 3.* & Calist. Ramirez cum aliis, quos refert D. Ioan. Castillo *de Tertijs cap. 41. ex n. 94.* † Sed clarigatio aliud longè significat, belli nempe denuntiationem, quæ solemnitate magis, quàm violentia constabat, immisso in hostium fines telo, vel hasta, verbis conceptis à legatis Romanis & Fecialibus, de qua re agemus *in tit. infr. vt armorum vsus.* interim videas post Agell. *lib. 10. noct. Attic. c. 27. & lib. 26. c. 111.* P. Greg. *lib. 19. syntag. c. 2. n. 3.* Briffon. *de form. ul. lib. 4. Alex. ab Alex. lib. 5. genial. c. 3.* vbi Tiraq. *Rosin. lib. 10. antiq. c. 1.* & ad eum Dēster. *lib. 3. antiq. in Paralipom. ad c. 21.* Cerda *ad Virgil. lib. 10. Aeneid. in princ. n. 22.* Valtrin. *d. re milit. lib. 1. c. 8. & seq.* Nicolaum Bellum *lib. 5. polit. discurs. 10.* Dom. Solorzan. *lib. 3. de iure Indiarum, c. 7. n. 86.* Borrell. *ae prastan. Regis cap. 32. n. 15.* † Græci apud Budæum *in annot. ad Pandect. in l. aut facta. §. euentus. D. de pænis.* huiusmodi genus prehensionis (de qua nos loquimur) vocarunt *Androlepsiam*, quod etiam notauit P. Greg. *d. lib. 38. c. 8. n. 1.* Couar. *in reg. peccatum 2. p. §. 9. n. 4.* & Gothofred. *in not. ad d. Nouell. 52. in epigraph. lit. B.* Gregorius autem X. *in d. cap. 1. de intur.* vocauit rectissimè *Pignorationes*, & vulgo dicuntur *Represalia*, licet hanc vocem neget barbaram esse Zasius *in l. 2. §. & ita*

leges de orig. iur. quem sequitur Schard. *verb. Repraesalia.* idque apud Romanos cognitum fuisse, & apud Græcos, docet P. Gregor. *d. cap. 8. n. 7.* & Menoch. *de arbitr. cas. 527. num. 3.*

- 38 Est itaque pignoratium quando quis auctoritate propria sub occasione repetitionis rerum suarum, quas sibi ablatas queritur, aut eas, aut alias vi manuque adhibita pignorare, seu auferre intentat, abductis ob id gregibus, aut armentis vicinorum eiusdem, vel etiam hominum alterius ditionis, & denique ob alterius delictum alium grauat, vt contingit in specie *cap. 2. de ordine cognition.* quod rectè prohibitum est in *l. extat 13. D. de eo quod metus. l. si quis in tantum 7. C. unde vi. d. l. vnic. infr. vt nullus ex vicari. l. 4. infr. de executorib. & exact.* quæ ad hanc pignorationem respicere videntur, licet reclamitet Petr. Faber in *l. non est singulis 176. de reg. iur.* & sanctissime nostris legibus prohibentur huiusmodi iniuriæ & rapinæ. *l. 15. tit. 10. part. 7. l. 1. & toto tit. 17. lib. 5. Recop.* Quia, vt ait Casiodor. *lib. 4. epist. 10. ad id reperta est legum sacrarum reuerentia, vt nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu,* iuxta ea quæ tradit Donell. *lib. 17. comm. cap. 2.* vbi Osval. *lit. A. & B.* † Hoc tamen limitatur, nisi fiant huiusmodi repraesaliæ, & pignorationes auctoritate publica Principis, ex causa iustissima cum circumstantiis, quæ explicantur ab auctoribus de hac re plenè differentibus in peculiaribus tractatibus de *Repraesalijs,* Bar. nempe & Jacob. de Canibus. Gaill. *de pignorationib. P. Gregor. d. lib. 38. cap. 8. toto.* Couar. *in reg. peccatum 2. part. §. 9. num. 4. vers. hinc demique.* Hippol. *de Marfil. sing. 551.* Balduin. *Novell. 52.* Mynsing. *cent. 6. obseru. 1.* & alios referente Osval. *lib. 15. com. Donell. cap. 52. lit. A* Barbosa *in collect. ad d. cap. 1. de iniurijs in 6. num. 3.* Ayala *de iure belli lib. 1. cap. 4.* Duaren. *ad tit. C. ne filius pro patre,* vbi etiam Cuiac. Menoch. *de arbitr. cas. 527. tot.* Caball. *resol. crim. cas. 122.* Gregor. *in d. l. 15. part. Aceued. in d. l. Recop. Gutierr. lib. 2. canon. cap. 30. num. 28.* Lorca *in 2. 2. D. Thom. quest. 40. art. 1. disp. 52. in dubij appendice.* & D. Castillo *de Tertijs, cap. 41. num. 94.* † Sic vidimus hoc anno 1635. ex Regis nostri decreto occupari omnia bona Gallorum publica auctoritate, tum quia Rex Franciæ idem cum nostris effecerat, tum vt iniurias, deprædationes iniustissimas, & bellum non solum contra hanc Coronam, verum & contra populos Catholicos ab eo sine causa, sine ratione illatum propulsaret.

LEX XXVI.

Imp. VALENTINIAN. & VALENS A A. ad Modestum P. P.

Quidam ignauia seclatores, desertis ciuitatum muneribus, captant solitudines ac secreta, & sub specie religionis cum cœtibus monachorum congregantur. Hos igitur atque in huiusmodi deprehensos erui latebris, consulta præceptione mandamus, atque ad municipia patriarum subeunda reuocari, & pro tenore nostræ sanctionis familiarium rerum carere illecebris: quas per eos censuimus vindicandas, qui publicarum essent subituri munera functionum.

LEX XXXI.

Idem AA. ad Modestum P. P.

Ex omnibus domibus producti, qui origine sunt curiales, ad subeundam publicorum munerum functionem protrahantur: quippe cum occultatoribus talium præter iacturam existimationis, etiam rerum discrimen incumbat, si vltius progressi, vtilitatem publicam priuatis custodiis & patrociniis postponant.

SUMMARIUM.

1. De iustitia nostræ legis dubitatio ex *Matthæo de Afflictis.*
2. *Valens Imperator Catholica Religionis & Monachorum infestissimus hostis, & num. 5.*
3. *Paganorum & hæreticorum in Monachos rabies.*
4. *Valens maximis cruciatibus & martyrijs Monachos cœgit lege lata militare.*
6. *Tribonianus de Atheismo impijssimo accusatur à pluribus, & ob id aiunt legem nostram in Codicem induxisse.*
7. *Expenditur l. plerique 12. C. Th. de veteranis, qua videtur esse Monachis infesta.*
8. *Qui fuerint nostræ legis auctores.*
9. *Magna differentia inter eos, qui Monachi erant, vel cœtibus Monachorum sese adiungebant.*
10. *Probatum varijs argumentis, non esse hanc legem eam, quam Valens contra Monachos tulit.*
11. *Intentum nostræ legis probatur non esse contra Monachos, sed contra pseudo-Monachos, & eius mens latè exornatur, & num. 12. & 14.*
13. *Ignauia quid in presenti significet.*
15. *Cenalli & aliorum doctrina de multitudine Religionum.*
16. *Explicatur & exornatur latè l. reddatur 8. infr. de Professor. & Medicis, & num. 21.*

17. *Philo*

17. *Philosophi antiqui virtutem profitentes, multis vitijs & nefandis irretiti, ex Iuuenali & Martiali & alijs, & num. 18. 19. & 20.*
22. *Philosophi ut verè essent Philosophi, committere debebant diuitias.*
23. *Expenditur l. professio, infr. de munerib. patrim.*
24. *Explicatur l. in honoribus 8. §. Philosophis. D. de vacat. mun. & l. i. D. de iust. & iure.*
25. *Adducitur & explicatur l. Curiales 104. C. Th. de Decurionib. & l. si quis curialis 12. C. de Episcop. & Cler.*
26. *Philosophi se armatos esse contra fortunam iactabant. explicatur d. l. reddatur. de Professor.*
27. *Philosophorum patientia vana & ficta.*
28. *Studia litterarum apud solos Monachos fuisse post tempora Imperatorum.*
29. *Fratres tertij ordinis sancti Francisci an gaudeant immunitate tributorum.*
30. *Qua pœna teneatur qui se mentitur Doctorem, vel Clericum esse.*

Matthæus de Afflictis, vir alioqui in forensibus quæstionibus non infimæ auctoritatis, *decis. 321. n. 9.* ex quorundam fiscalium opinione ait multas leges iniquas in his posterioribus libris Codicis Iustiniani contineri, quæ conditæ sunt ab Imperatoribus Orientalibus, non verò à Iureconsultis. qui quidem fiscales ne à limine quidem salutarunt hos libros, vt eos reprehendens aduertit Valenzuela *in proœmio ad lib. 10. & in l. vnic. sup. de superindicto. num. 2.* Verùm si aliquo colore veritatis aspersa esset eorum assertio, ex hac nostra lege clarè videbatur comprobari. † Quæ habuit auctorem Valentem Imperatorem Catholicæ Religionis infestissimum hostem, & præcipuè contra Monachos Ægypti, quos pertinaci odio persecutus est. nam ab Eudoxio Arriano Episcopo baptizatus Arriana contactus peste nomen Catholicum abolere, & cœnobia Monachorum delere conatus est, quod & Ethnicis & hæreticis ea tempestate in voto erat, rabiosa calumnia & latratu contra Monachos. † De Paganis testis est locus Rutilij Numaciani *lib. 1. Itinerary, vers. 438.*

*Processu pelagi iam se Capraria tollit,
Squallet lucifugis insula plena viris.
Ipsi se Monachos Graio cognomine dicunt,
Quòd soli nullo viuere teste volunt.
Munera fortuna metuunt dum damna ventur
Quisquam sponte miser, ne miser esse queat.*

Quanam peruersi rabies tam stulta cerebri?

Dum mala formides, nec bona posse pati!
Sic Monachos cauillantur eisdem temporibus Eunapius & Sozimus, quorum alter Philosophorum, alter Imperatorum vitas non alio fine scripsit, quàm vt idololatriam vanis & ineptissimis laudibus extolleret. Eunapius verò nefarius & sceleratus Sophista *in Aedesio*, sanctissimos viros insequitur impiissimè, his verbis. *Idem postea in sacra loca inuenerunt Monachos, sic dictos, homines quidem specie, sed vitam turpem porcorum more exigentes, qui in propatulo infinita atque infanda scelera committebant.* Item & Sozimus non minori impietate *lib. 5.* in possidendis terris auaritiam Monachorum exagitat, his verbis. *Ob eam rem perturbata plebe plena Constantinopolis tumultu erat, iamque adeò fuerat intercepta Christianorum ab eis Ecclesia, qui Monachi vocantur. Hi legitimis nuptiis abstinent, & tam in urbibus, quàm in vicis populosa collegia complent hominibus non maritatis, neque ad bellum, nec alium reipublicæ vsum necessarium idoneis, nisi quòd via quadam progressi ab eo tempore in hunc vsque diem magnam agrorum partem ad se transtulerunt, & sub pretextu quasi pauperibus omnia communicent, omnes ad inopiam redegerunt.* † Hæc 4
verba & calumniæ paganæ, de factis hæretici Valentis nunc adiciendum, diximus magnopere odisse Monachos, hoc autem odium ita excreuit, vt eos coegerit militare. Testes sunt noster Hispanus Paul. Orofius *lib. 7. cap. 33.* & Paul. Diachon. *lib. 11. hist. Eutropij.* qui ita ait. *Valens igitur impietatem quam dudum meditatus fuerat operibus explens lege lata vt Monachi militarent, nolentes per tribunos & milites sustibus iussit interfici. Quorum innumeram multitudinem per vastas tunc Ægypti solitudines diffusam constat, præcipuè quæ apud Nitriam martyrij consequuta est palmam.* Iornandes *lib. 1. de Regn. ac temp. success. paulo ante finem,* idem affirmat. *Valens Imperator lege lata vt Monachi militarent nolentes iussit interfici.* idem docet Socrates *lib. 8. histor. Tripar. cap. 7* Theodorit. *lib. 7. cap. 29.* Niceph. Callist. *lib. 9. cap. 16.* & cum alijs Baron. *tom. 4. Annal. anno Christi 375. num. 10.* † Nec hoc solum effecit, sed & maximis 5
oneravit tributis, vt constat ex epistola 19. quam ad eosdem scripsit D. Basilius, ob quam causam hanc nostram legem (tanquam Catholicæ pietati aduersam, & quæ Mendicantium sanctissimum institutum subuertat, & Guillelmi de sancto Amore illius iam ab Ecclesia damnati impium do-

gma fouere videatur, contra quem scripsit D. Bonauentura *apolog. 2. pro pauper.*) accusant & damnant Alciat. *hic, & lib. 3. difpunct. cap. 11.* Gothofred. & Cuiac. *hic, & P. Gregor. lib. 15. syntag. cap. 15. num. 5. & lib. 39. cap. 6. num. 10.* Forcatul. *in Cupidine Iurispr. cap. 4. num. 4.* licet aliter velit eam accipere Anastaf. Germon. *de sacror. immunit. lib. 2. cap. 3. num. 10.* quo etiam modo aliam legem Mauritij Imperatoris damnauit D. Gregor. *lib. 2. registr. epist. penul.* qua statuebatur, vt nullus qui actionem publicam egit, qui officio, vel manu signatus (verba sunt illius Sanctissimi) vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio conuerti liceat, vide Yepes *in Chron. S. Benedicti. tom. 1. ann. Christi. 593. cap. 1. pag. 387.*

6 Huic autem difficultati cur legem tam impiam Tribonianus in lucem extraxerit, & Codici adiecerit, respondet Alciatus, quoniam aliam interpretationem recipere poterat, præter eam, quam Valens ipse probabat, tametsi & id Triboniani impietati posset imputari, cum ipse fuerit Atheus, & absurda impietatis homo, vt testantur Hesy chius & Suidas, relati ab Alciato, *sup. & Nicol. Aleman. in hist. arcan. Procopij pag. 72.* Dom. Francisco de Cordoua *in Didascalia cap. 14.* Barthio *lib. 2. aduersar. cap. 17.*

7 † Quæ tamen euasio mihi non probatur, pluribus rationibus. Prima, quoniam Arcadius & Honorius idem videntur statuere *in l. plerique 12. C. Th. de veteranis*, at hos fratres Imperatores Hispani gloriosissimi & Christianissimi Theodosij filios quis negabit non fuisse piissimos? Nihilominus ita scribunt, & quoniam plurimos vel ante militiam, vel post inchoatam, vel peractam latere obiectu pia Religionis agnouimus, dum se quidam vocabula Clericorum, & infaustis defunctorum obsequijs occupatos non tam obseruatione cultus, quam otij & socordia amore defendunt, nulli omnino tali excusari obiectio ne permittimus, nisi qui aut fractus senio, aut membris debilis, aut paruitate deformis, indignus consortio virorum fortium reperitur. ex quibus verbis constat etiam ad militiam extractos eos, qui sub specie Religioforum se occultabant, & tamen à Catholicis Principibus edita est lex illa. † Rursus, quia lex nostra non solum habuit auctorem Valentem hæreticum Imperatorem, sed etiam Valentinianum fratrem natu maiorem, qui ab omnibus historiographis Catholicus prædicatur, & pius, conditaque est sub eorum primo Consulatu (vt subscriptio indicat) qui contigit secundum Onuphrium & Contium anno 365. Neque aliquis dicat non fuisse Valentinia-

num maiorem. nam iunior non præponeretur Valenti. At lex quam Valens tulit contra Monachos, qua eos coëgit militare, lata est post fratris mortem, vt testantur Paul, Orosius, Paul. Diach. & Baron. *sup.* Vnde credendum non est Catholicum Principem Valentinianum in re tam nefaria & abominanda voluisse fratri hæretico consentire. † Tertia ratio. quia lex hæc non iubet Monachos erui è latebris, sed illos qui cæcibus Monachorum sese adiungunt. ergo maxima est differentia inter Monachos & sectatores ignauia. & sic non loquuntur Impp. de Monachis, sed de illis, qui segnitiei causa, dolo & fraude secreta eorum petebant. Quod significat verbum *captant*, eos comprehendens, qui dolo & illectamentis, simularoque obsequio alterius gratiam aucupantur, vt constat ex Martial. *lib. 6. epig. 63.* & Corrafio *lib. 5. miscellan. cap. 13.* vnde captatores testamentorum. Idque confirmant verba sequentia, *sub specie religionis*, quæ demonstrant colorem illum quesuisse, vt ignauia se dederent, & otio, non autem vt Monachi essent. † Quarta ratio, quod lex nostra nihil de militia statuit, neque Monachos ad militiam reducit, cum tamen lex altera Valentis iam antiquata Monachos coëgerit militare. Hæc in patriam reducendos statuit, non Monachos, sed eos, qui cæcibus Monachorum falsò & furtiuè se adiunxerant, & muneribus patriæ subeundis se subduxerant. lex illa Monachos à monasteriis abducebat, qui in illis solitudinibus Ægypto Deo vacabant, hæc autem abducit illos ignauos, qui prætextu Religionis cum verè non essent Monachi, sed pseudo-Monachi, ea ratione sese in monasteriorum solitudines & secreta contulerant, non vt profiterentur monachatum, sed vt segnitiam & socordiam amantes curias effugerent, eo colore, quasi mundum horrent, & cum semper leges procurarunt Decuriones ad curias reuocare, ita vt nec militia, nec rescripto data immunitas, nec etiam propria domus Principis eos liberaret à muneribus subeundis. *l. qui derelicta 17. l. privilegio 27. l. curiales 21. l. quoties 37. l. curiales 39. infr. h. t.* † Quod attinet ad intentum legis nostræ solum eos retrahit, qui ficto colore religionis captabant solitudines, in quibus degebant Monachi (hoc enim est *Monazónton*, locus in quo solitariè viuunt Monachi, licet ego legerem *Monachorum*, quæ vox aptior & suauior, & ad propositum & mentem Imperatorum) quò non vt profiterentur, sed vt munera subterfugerent sese contulerant, hypocritæ &

& habitu tantum Monachi, non vita. quod xuo illo frequentissimum fuit, vt curias derelinquerent, fucato affectu vitam monasticam profiteri, sed vita inhonesta. ita deplorat sanctissimus & doctissimus Hieronym. epist. 5. ad Rusticum Monachum. Videas nonnullos accinctis renibus, pulla tunica, barba proluxa à mulieribus non posse discedere, sub eodem manere tecto, simul inire conuiuia, ancillas iuuenes habere in ministerio, & prater vocabulum nuptiarum omnia esse matrimonij, non hac culpa est Christiani nominis, si simulator religionis in vitio sit. & inferius, Vidi ego quosdam, qui postquam renuntiauerunt saculo, vestimentis dumtaxat & vocis professione, non rebus de pristina conuersatione mutarunt. Res familiaris magis aueta, quam imminuta, eadem ministeria seruulorum, idem apparatus conuiuij in vitro & patella fictili aurum comeditur, & inter turbas & examina ministrorum nomen sibi vindicant solitarij. Qui verò pauperes sunt, & tenui substantiola, videnturque sibi scioli, pomparum ferculis similes, procedunt in publicum, ut caninam exerceant facundiam. Alij sublatis in altum humeris, & intra se nescio quid cornicantes, stupentibusque in terram oculis tumentia verba trutinantur, vt si preaconem addideris, putes incedere praefecturam. Sunt qui humore cellarum immoderatisque ieiunijs radio solitudinis vertuntur in melancholiam. Plerique artibus & negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatisque nominibus institorum eadem exercent commercia maiora, quam saculi homines emolumenta sectantes. Nunc autem sub religionis titulo exercentur iniusta compendia, & honor nominis Christiani, fraudem magis facit, quam patitur, publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis sacculis morimur diuites, qui quasi pauperes viximus. Tibi cum in monasterio fueris, hac facere non licebit. Hæc D. Hieronym.

12 Cùm ergo tales homines verè non essent Monachi, sed vt à muneribus sese liberarent, hypocriti illa colorem quæstierint, Valens hac lege constituit, vt è laterbris eruerentur, & bonis priuarentur. quod indicat non loqui de veris Monachis. nam hi bona nulla habebant, *Auth. ingressi, C. de sacros. Eccles. Nouell. 123. in princip. quæ est Auth. de sanctiss. Episcop. cap. 1. ibi, nullum tamen omnino proprium habere.* & ita loquitur de illis, quos D. Hieronym. describit *suprà, & epist. 22. ad Eustochium de custodienda virgin. multo post medium, his verbis. Tertium genus (Monachorum) deterrimum atque neglectum habitant in urbibus & ca-*

stellis, inter hos sape sunt iurgia, quia suo uiuentes cibo, non patiuntur se alicui esse subiectos. Apud hos affectata sunt omnia, laxa manica, visitatio virginum, detrectatio Clericorum, & si quando dies festus venerit, saturantur ad vomitum. His igitur quasi quibusdam pestibus exterminatis veniamus ad eos. † Quis ergo tales hypocritas non insequetur, quos Maximus Doctor pestes vocat. Iure equidem Valentinianus & Valens hanc legem contra tales tulerunt, qui non erant verè Monachi, sed imò vitam monasticam dehonestabant. Quapropter non immeritò ignauia sectatores vocantur in presenti, & desides in l. generaliter 52. C. de Episcop. & Cler. Quo in sensu fucos apum (apud nos los zanganos de las colmenas) ignauos vocat Virgil. lib. 4. Georg. ver. 167.

Ignauum fucos pecus à praesepibus arcent. & vers. 244.

Immunisque sedens, aliena ad pabula fucus.

vbi ignauum dixit, non quia sint sine aculeo, vel sine armis, vt cæteræ apes, sed quia inuolant in alienas opes, in aliena pabula, nihil facientes, otiosique semper, *stoxos dicimus holgaçanes, pereçosos, & hoc significauit illa vox sedens, vt sic reiicias Lucam de Penna hic, qui ignauiam fumebat pro ignorantia, cùm verè pro focordia, desidia, inertia & pigritia fumatur. l. cùm verò 26. §. apparet, de fideicom. liber. & Tacit. lib. 5. histor. in princ. de Sabbato Iudæorum. Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit, dein blandiente inertia septimum quoque annum ignauia datum.* † Hæc igitur constitutio non fuit condita odio Monachatus, sed fauore curiarum, ne eo colore desererentur, & ex malitia propria illi pseudo-Monachi commodum reportarent, cùm habitus susceptio Monachos non faciat, *cap. porrectum, de Regularib.* Ne sub specie muneris quod minus exequitur, alterius muneris oneribus releuetur, vt ferè in simili specie aiunt Imp. in l. qui sub pretextu 9. C. de sacros. Eccles. l. semper 5. §. Diuus. D. de iure immunit. Quia intentio dolosa & falsa grauitè est coërcenda, argumento *cap. tuarum 11. ibi, cruce falso signatos inueneris. de priuileg. vbi post glos. DD. Nouell. 123. §. fin. seu Auth. de sanctiss. Episcop. l. vnic. in princ. infr. de studijs liberalib. urb. Rom. & qui ficto cœlibatu sollicitauit ad nuptias, tenetur stupri. l. eum qui duas 18. C. ad leg. Jul. de adult. l. 3. C. de donat. ante nupt.*

Vnde refellendus est Ceuallos lib. del Arte Real. documento 23. pag. 129. qui existimat nostram legem voluisse religionum cohibere

cohibere multitudinem. quæ videtur etiam fuisse sententia Accur. *hic, verb. solitudines*, Sed minimè ad hoc attendisse Impp. constat ex supra resolutis. Scio autem multos viros consuluisse, vt à Romano Pontifice id exoptaretur, propter innumera incommoda, quæ ex tot monasteriis in dies crescentibus oriri putant. de quo videndus idem Ceual. *d. docum. 23. Nauarrete en la conseruacion de Monarquia, discurs. 42. & ante eos P. Gregor. lib. 13. de Repub. c. 4. num. 6. & cap. 6.*

16 Secundò ex supradictis venit explicanda elegans decisio *l. reddatur 8. infr. de Professor. & Medic.* quæ eisdem Impp. Valentin. & Valentem habet auctores, vbi decreuerunt illud fucatum genus hominum, qui habitum Philosophorum vsurpabant (cùm verè Philosophi non essent) vt patriæ muneribus sese subtraherent, curiis esse reddendum. ita enim scribunt. *Reddatur vnusquisque patriæ suæ, qui habitum philosophi indebitè & insolenter vsurpare cognoscitur: exceptis his, qui à probatissimis approbati ab hac debent collusione* (lego collusione cum Cuiacio, Gothofredoque *ibidem*, & Iureto *ad Symmach. lib. 1. epist. 23.*) *secerni. Turpe enim est vt patriæ functiones ferre non possit, qui etiam fortune vim se ferre profitentur.* † Loquuntur ergo de his Philosophis, qui verè philosophiam non profitebantur, sed hypocrisim, & vt de eis scribit Tertullian. *in Apolog. cap. 46. num. 575* mimicè affectabant veritatem, & affectando corrumpebant, vt qui gloriam captant. namque mysterium sapientiæ & virtutis, barba & palliotenus celebrabant, & nihil vitiorum non habebant. Ita eorum fictam bonitatem & virtutem & turpissimam vitam acriter & eleganter suggillat Iuuenalis *Satyr. 2. in princ.*

Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt,

Indocti primùm, quamquam plena omnia gypso

Chryssippi inuenias. nam perfectissimus horum est,

Si quis Aristotelem similem, vel Pittacon emit,

Et iubet archetypos pluteum seruare Cleanthas.

Frontis nulla fides. quis enim non vicus abundat

Tristibus obscænis? Castigas turpia, cùm sis

Inter Socraticos notissima fossa cinados

Hispida membra quidem, & dura per brachia seta

Promittunt atrocem animum, sed podice laui

Ceduntur tumida medico ridente marisca.
Rarus sermo illis, & magna libido tacendi
Atque supercilio breuior coma.

Horum simplicitas miserabilis, his furor ipse

Dat veniam; sed peiores, qui talia verbis
Herculis inuadunt, & de virtute loquuti
Clunem agitant.

Cui etiam concinit Martial. *lib. 1. epig. 25. 18*
& lib. 9. epig. 28. & 48. hoc vltimum annectam.

Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas,

Quidquid & hirsutis squalet imaginibus,

Sic quasi Pithagora loqueris successor, & heres,

Præpendet mento nec tibi barba minor.
Sed quod & hircosis serum est, & turpe pilosis

In molli rigidum clune libenter habes.

Tu, qui sectarum causas, & pondera nosti,
Dic mihi præcidi, Pannice, dogma quod est.

Apuleius *lib. 1. florid. circa fin. Quod utinam 19*
pari exemplo Philosophia edictum valeret,
ne qui imaginem eius temerè assimilaret, vt
*pauci boni artifices ijdem probè eruditi omnifariam sapientiæ studium contemplant, neu rudes, sordidi, imperiti, palliotenus Philosophos imitarentur, & disciplinam regalem maledicendo, & similiter viuendo contaminarent. Congruunt Senec. epist. 5. & de vita beat. cap. 20. Epictet. dissertat. lib. 4. cap. 8. Agell. lib. 9. noct. Attic. cap. 2. & lib. 13. cap. 9. & 22. & lib. 17. cap. 18. D. Hieronym. in ep. ad Pammach. & ad Iulian. qui eos Philosophos vocat mundi gloriæ animalia, populares auræ atque rumorum popularia mancipia, imitatus fortè Tertullianum *lib. de patientia, in princ. qui sapientiæ animalia eos appellat, & aliis conuitiis eos cumulant Symmach. lib. 1. epist. 23. Sidon. lib. 9. epist. 9. Plin. lib. 1. epist. 22. & lib. 3. ep. 11. Quintilian. declam. 268. & 283. Lactant. lib. 5. cap. 5. & alij ex Patribus Ecclesiæ, quos recenset Iust. Lips. lib. 1. manu duct. ad Stoicam, dissert. 3. † Solùm adducam Iulij Firmici verba 20*
lib. 8. cap. 6. Aliud ex fronte pollicentur,
*aliud latenter in moribus celant, sunt enim austera facie, proluxa barba, obstinata fronte, ita vt Catonis pressum institutum imitari videantur, sed totum hoc fucato mentiuntur affectu, sunt enim natura petulantes, lasciujs semper cupiditatum ac libidinosi voluptatibus implicati, & qui latenter amorum illecebris semper exæstuent. De his Philosophis intelligendi sunt loqui sancti Patres, qui Philosophiam damnarunt apud Iust. Lips. d. di)**

d. differ. 3. & Gasp. Barthium lib. 2. aduersar. cap. 12. & lib. 4. cap. 3.

- 21 Hos ergo, qui eo fucō sese muneribus subtrahebant, rectissimè Valens ad curias reducendos existimat, quia non debent priuilegiis & muneribus gaudere, quæ ueris Doctoribus & sapientibus iura indulserunt, propter insigne & laudatissimum munus edocendi, fauoremque & honorem litterarum. *l. Medicos 6. infr. de Professor. & Medic. l. si duas 6. §. & Philosophos 5. cum seqq. D. de excusat. tutor. l. in honoribus 8. §.*
- 22 Philosophis *D. de uacat. muner. † Ratio ipsa d. l. reddatur*, ea est, quia tales Philosophi, ut verè essent Philosophi, contemnere debebant diuitias, & amare paupertatem, ita ut si haberent diuitias, iam verè non philosopharent, cùm Democritus proiecerit diuitias, ut testatur Seneca *de prouident. cap. 6. d. l. in honoribus §. Philosophis*, ubi eleganter notauit Gothofred. *lit. R. d. l. si duas §. Philosophis 7. l. 1. §. an & Philosophi 4. de extraordin. cognit.* (licet Seneca *de uita beata cap. 23.* id contradicat, sed ille magis de se, & pro se dixit, quàm quia Philosophorum præceptis id conueniret) cùm verò isti, qui falso & fucato affectu philosophiam profitebantur, ut immunitatem haberent, contra præcepta philosophiæ diuitias habebant, & sic professio & animus longè distabant, reddi debuerunt patriæ muneribus. † ita eleganter probatur *in l. professio 6. infr. de munerib. patrim.* ubi ex supradicta ratione inferunt Impp. Philosophum reddi debuisse muneribus patriæ illis uerbis, *Cùm Philosophum te esse proponas, uinceris auaritia & rapacitate. † Quibus congruit d. l. in honoribus 8. §. Philosophis, de uacat. mun.* ubi Philosophis datur uacatio à tutelis & fordidis muneribus personalibus, non verò à muneribus illis, quæ dicuntur patrimonialia, in quibus sumtus necessarius est. rationem reddit elegantissimè Papin. quia qui hæc munera refugiunt quæ patrimonio imponuntur, iam sese ostendunt fictos Philosophos, non ueros. Qui enim ueri Philosophi sunt, pecuniam contemnunt, & perdere malunt, quàm eius esse studiosi. quod mihi uidetur magis procedere, quoniam Iureconsulti Philosophis sibi fuerint subæmuli, ita ut iam hi, iam illi sæpiùs obiurgarent aduersarios inuicem dissidentes, qui contrariam sectam insectarent, ut eleganter obseruat Merill. *lib. 1. obseru. cap. 1.* quod uidetur innuere Vlp. *in l. 1. §. 1. D. de iust. & iur. ibi, ueram, nisi fallor, philosophiam, non simulatam affectantes.* quo loci uidetur Philosophos fuggillare, vel saltem probare Iureconsultos

æquales esse Philosophis, cùm exercere iustitiam pulcherrimam partem philosophiæ esse testetur Plin. *lib. 1. epist. 10.* quod etiam innuit, dum ait, Iureconsultos esse Sacerdotes, quo nomine condecorabantur etiam Philosophi, ut docet Cerda *ad Tertull. de spectacul. cap. 16. num. 5.* ad illud, *Sacerdotibus pacis.* † Huc etiam pertinet *l. curiales 104. C. Th. de decurionibus*, ubi si aliquis curialis Clericus fieri uelit, ita consequetur, si cedat patrimonio, & absque bonis Clerici efficiantur, quia, inquiunt Gratian. Valent. & Theodos. *animos diuina obseruatione deuinctos non decet patrimoniorum desiderijs occupari.* Quasi dicant, qui curiam derelinquit, & bona cum clericatu retinere mauult, hoc ipso prodit simulatam esse, & non ueram religionem suam, sicut Philosophi. quam legem postea emendarunt Arcadius & Honorius *in l. si quis curialis 12. uers. Clericis, C. de Episcop. & Cler.* ubi illam cessionem bonorum, qua mediante curialis effici poterat, ad clericatum non prodesse satis impiè decernunt, licet pij fuerint illi Imperatores, nisi dicas iniuriam illorum temporum ita tulisse, ne sub eo prætextu curiæ desererentur, ut diximus *ad rub. sup.*

Aliam etiam rationem explicatu dignam adiicit *d. l. reddatur 8. infr. de Professor.* quare ficti Philosophi reddendi sint curiæ, quia *turpe sit ut patria functiones ferre non possit, qui etiam fortuna uim se ferre profiteatur.* Quasi dicat, si enim Philosophorum professio est fortunæ se opponere, & eius iniurias fortiter ferre, multo magis patriæ munera. nam in tali functione, patientia & constantia exercetur. Fuit sanè uanis illis Philosophis insita ratio contra fortunæ contumaciam esse armatos, & de se iactare illud Horatij, *& si totus dilabatur orbis, impaudum ferient ruina.* Quod disertè docuit Tertullian. *de patientia in princ.* Philosophi quidem qui alicuius sapientiæ animalia deputantur, tantum illi subsignant, ut cùm inter sese varijs sectarum libidinibus & sententiarum emulationibus discordent, solius tamen patientia in commune memores huic uni studiorum suorum commiserint pacem, in eam conspirant, in eam fæderantur, illi in adfectione uirtutis unanimiter student omnem sapientiæ ostentationem de patientia præferunt. Lege animosa uerba Senecæ *lib. de prouident. cap. 6. & epist. 16. & ep. 4.* ergo aduersus omnia qua accidere possunt etiam potentissimis, *abhortare te, & indura.* & *epist. 111. Verus & rebus non artificijs Philosophus in edito stat admirabilis, celsus, magnitudinis uera. Quidni contentus sit eo usque creuisse*
quo

quo manum fortuna non porrigit. ergo & supra humana est par sibi in omni statu rerum, siue secundo cursu vita procedit, siue fluctuat, per aduersa & difficilia, hanc constantiam caullationes prestare non possunt. lege etiam Senecæ perpetuum asseclam Lipsium in libris de constantia, & in manu duct.

27 ad Stoicam. † Sed hæc omnia falsa illis fuisse, & in affectatione virtutis umbra quidem & vanitas, vt testatur D. Cyprian. de bono patientia. & Tertullian. eleganter & verè de patientia cap. 2. Nobis exercenda patientia auctoritatem non affectatio humana canina equanimitatis stupore formata, sed viuacae celestis disciplina diuina dispositio delegat, Deum ipsum ostendens patientiæ exemplum.

28 Illud etiam ad ornatum supradictorum adiiicerem, quòd cum sequiori tempore studia litterarum penes solos Monachos essent (fremant hæretici & irrideant) philosophatio, vt ita dicam, veluti munus proprium eorum cœpit censerì. sic probat mihi Luitprand. lib. 5. hist. cap. 9. Stephanus & Constantinus facta congressione super patrem irruunt, eumque de palatio omnibus ignorantibus deponunt, & ad vicinam insulam, in qua cœnobitarum multitudo philosophabatur, tonsor ei, vt moris est, capite, ad philosophandum transmittunt.

29 Vt verò huius legis tractationi finis imponatur, breuiter resoluenda est illa quæstio, quam hîc Platea tetigit, an scilicet fratres Tertij ordinis sancti Francisci sint immunes à tributis. in qua resoluè negatiuè cum Didaco Perez in l. 1. tit. 3. lib. 1. ordinam. verb. los sacerdotes, vers. est & alia. & alios plures referente Ceuallos 4. tom. com. q. 897. num. 586. Barbosa de iure Ecclesiast. lib. 1. cap. 39. §. 2. num. 41. & §. 5. n. 24. (& Castello tom. 5. cap. 81. vers. quinto quoque, vsque in fin. & cap. 90. num. 51. & seq. Gratian. tom. 5. discept. cap. 958. num. 25. & Molin. de iustit. & iur. 1. tom. disp. 208.) qui rectè id limitat quando tales fratres viuunt collegialiter, & in communitate. nam tunc sunt verè Religiosi, vt videmus per totam Baticam Fratres qui dicuntur Terceros ordinis S. Francisci de pœnitentia, qui habent plura monasteria, & exemplis & doctrinis eminent.

30 † Altera quæstio est quam tractauit Bar. in l. qui sub pretextu, C. de sacr. Eccles. quòd si aliquis se alterum esse mentitur, veluti dicit se Clericum, cum Clericus non sit, vel Doctor, cum non sit Doctor, pœna arbitraria teneatur. l. eos 27. §. fin. D. ad l. Cornel. de fals. Menoch. de arbitr. cas. 318. ex num. 19. confert Hermosill. in l. 4. tit. 1. p. 5. gl. 7. toto. vbi de filiofam. qui

se negat, agricola, nobili, qui mentitur, negans se agricolam, aut nobilem, pœna falsi teneri docet Cancer. lib. 2. tit. 2. num. 253. & Mastrill. de magistrat. lib. 3. cap. 10. num. 93.

 L E X XXIX.

Imppp. VALENTINIAN. VALENS & GRATIAN. AAA.

Nati ex inquilinarum domus nostræ matrimonio, & patre Decurione, non patrum suorum, verum matrum conditionem sequantur.

 L E X XXXVI.

Iidem AAA. ad Basilium Com. S. L.

Exemplo senatorij ordinis patris originem vnusquisque sequatur, nec valeant specialiter delata rescripta. Si quis se matris origine à maiore curia ad minorem transferri fortasse promeruerit, neque vlla pro more referri sinatur exceptio.

His adde l. eos 22. l. nullus 44. l. neque 61. & seqq. hoc titulo.

S V M M A R I V M.

1. Vnde originem traxerit adscriptitiorum conditio, & de agricolationis estimatione apud præscos Romanos.
2. Qui egerint de explicatione horum nominum adscriptitius, colonus, censitus, & inquilinus, remissiuè.
3. Explicatur eorum natura & conditio, & n. 4. 5. 6. & 7.
8. Quare matris, & non patris conditionem sequatur filius, hîc in dubium reuocatur.
9. Pater in generatione est principium actiuum, & an necessarium semen familiare in generatione.
10. Filius semper sequitur familiam, honores & dignitates paternas, conditionem verò & statum maternum, n. 11.
12. Legis nostræ explicatur mens, & ratio proponitur, quare filius in ea sequatur matrem, & n. 13. 15. & 16.
14. Ratio dubitandi ad hanc legem desumpta ex ea inspectione, an adscriptitij fuerint liberi, vel serui.
17. De priuilegijs & fauore agriculturæ.
18. Latè disquiritur, quare mater attendatur in conditione partus.
19. Disputatur contra Fabrum & Carrancam, illam regulam procedere in filiis ex matrimonio, vel extra matrimonium natis.
20. Carrança fastus & lapsus. ostenditur ve-

TAM

- ram esse rationem illam, ut partus sequatur conditionem matris, & 21.
22. Explicatur l. cum legitimæ 19. & l. lex naturæ, D. de statu hom.
23. Alius lapsus Carrançæ explicatur l. quia semper 5. de in ius vocan.
24. Latè explicatur l. 2. D. ne de statu defunct. & n. 25. 27 & 28.
26. L. Seuerus 9. D. de decurionib. ratio dubitandi & decidendi.
29. Demonstratur incuria & lapsus Carrançæ.
30. An filius ex patre nobili & ancilla susceptus gaudeat nobilitate paterna, latè discutitur, parsque affirmatiua defenditur contra Carrançam, & n. 31. 32. 33. 36.
34. Filiorum appellatione continetur ex ancilla susceptus.
35. An vera sit traditio A. Fabri de filio naturali iure civili non cognito, remissuè.
37. Filius conceptus ex ancilla propria, cum qua potuit contrahi matrimonium, est filius naturalis.
38. Signantur plures Carrançæ contra Auctorem calumnia, simul ac refelluntur, & num. 39.
40. Tenebræ quibus scatent scripta Carrançæ.
41. Detegitur incuria & miser lapsus Carrançæ in exponendis duabus legibus partitarum, & verus earum sensus adducitur, & n. 42. 43. 44.
45. De intellectu l. exemplo, hoc tit. & quòd originem nobis ducimus à patria paterna, explicaturque Virgilius & Sardonius, & n. 46.
47. Versus ille d. l. exemplo, nec valeant specialiter, quomodo sit accipiendus.
48. Rescripta impetrata ut sese à decurionatus oneribus quis subtraheret, vacuantur, & quare & quatenus ciuitatis immunitas valida de eo sit ad interpretationem l. 5. t. 9. lib. 5. Recop. & n. 49. & 50.
51. Rescripta qua immunitatē à decurionatu concedunt, quomodo valere possint.
52. Antiocheni speciali privilegio sequebantur matris originem quoad decurionatum, explicatur l. eos 22. sup. h. t.
53. Antiochia Syria nobilissima ciuitas.
54. L. eos 22. sup. h. t. & l. 1. §. fin. ad municip. contra Cuiac. exponuntur, & tractatur an privilegium, de quo ibi, ut filius maternam originem sequatur, concedatur solum Iliensibus, & n. 55. 56. & 57.
58. An consuetudine effici possit ut quis maternam nobilitatem sequatur. defendit De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. I.

ditur affirmatiua pars contra Bartol. & alios antiquos, & n. 59.

60. Constitutio qua est iuris positivi alia constitutione immutari potest.

PRO explicatione eorum, quæ dicenda sunt, necessarium duxi de conditione mulierum inquilinarum tantisper differere, cum tota mens nostræ legis ex eius disquisitione constet. Cum itaque deuicta Italia & prouinciis Romanis agri quàm multo creuerint, & latifundia partim luxu & otio crescente, & rerum abundantia agricolationem deseruere, ut ait Columell. de re rustic. lib. 1. in præfat. quæ tanto in honore præfatis fuerat, ut ipsorum tunc manibus Imperatorum (verba sunt Plinij lib. 18. cap. 3. & 6.) colerentur agri, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore, & eadem cura semina tractabant, qua bellum, eademque diligentia arua disponebant, qua castra. Sed cum ita ea necessaria sit generi humano, ut dicam in rub. infr. de agricol. & cens. consueuerunt prudentiores homines liberos ad culturam agrorum suorum arcescere, † inter quos fuerunt adscriptitij coloni, censiti & inquilini, de quorum conditione post Azon. Accur. Plateam, Lucam, Pyrrh. & Cuiac. in d. rub. DD. in cap. indicatum, de immun. Eccles. P. Gregor. lib. 14. syntag. c. 10. ex n. 6. Cassaneus in consuet. Burg. rub. 9. ex num. 1. Duar. in tit. de seruit. cap. 1. Forcat. in rub. eod. n. fin. Donell. lib. 2. com. cap. 9. Connan. lib. 2. comm. c. 10. Schifordegh. ad Ant. Fab. lib. 3. tract. 26. q. 6. ex nostris Couarr. in cap. quamuis pactum 2. p. §. 1. n. 2. Valasc. de iure emph. q. 37. Baëza de inope debit. cap. 2. ex num. 20. Amescua de potest. in seips. lib. 2. cap. 17. ex n. 23.

Horum hominum illa fuit conditio, ut qui initio liberi ingenuique nati sunt, conditionibus quibusdam vel gratis, aut pretio patiebantur certæ alicui terræ se adscribere, & addicere, promittentes domino soli se numquam ab eo discessuros & prædiorum annuos redditus soluturos, l. colonos 19. l. cum scimus 21. infr. de agricol. & cens. l. quisquis 16. l. si quis 20. l. iubemus 37. C. de Episcop. & Cler. l. fin. C. de transaction. l. possessionum 11. C. comm. utriusque iudicij. † Nomen inde deductum, siue quia adscripti censibus, (census autem erat libri censuales, vel publici census scripturæ, in quibus continebantur proprio nomine qui in suis locis erant conscripti, ut docet Cuiac. in d. rubr. de agricol. & Pancirol. lib. 2. thesaur. cap. 151. Bulenger. de Imper. Rom. lib. 9. cap. 12.) quia cum ipso fundo, cui adscripti erant

in publicum censum referebantur, & maius patrimonium domini efficiebant, & maioris census, *l. hi penes 4. l. omnis 6. l. quem admodum 7. inf. de agricol. & cens.* (nam eorum fiebat professio, quorum nomine tributum præstatur reipublicæ à dominis qui cogebantur patrimonia profiteri, ad quod respexit *l. 4. §. si quis inquilinum. D. de censibus*, vt explicat P. Greg. *lib. 47. syntag. c. 16. n. 30.*) siue quia ita erant adscripti glebæ, vt minimè eis recedere liceret. *l. colonis 15. infr. de agricol.* sed inde refugientes ad prædia reducerentur. *l. cum satis 23. §. cum autem, d. tit. l. vnic. C. de colonis Palest.* cum alijs *seq. tit.* † Ob quam causam membra eius terræ reputabantur, *d. l. cum satis.* Hic pensionem ex fructibus soluendam consignabant, & sic incertam. Censitus verò certum censum, aut pensionem annuam, licet nomine tantum differant huiusmodi homines, vt docent Accur. per tex. *ibi in l. 2. glos. 1. infr. in quibus cau. coloni.* Schard, *verb. censiti.* Qui etiam tributarij dicuntur, ob eam causam *in l. seruos 12. infr. de agricol. & tributarium emolumentum dicitur pensio, quam soluunt, in l. omnes 8. eod.* docent supra laudati.

¶ Horum nominum quæ videtur esse ratio diuersitatis nullum legerim auctorem qui disertè explicet diuersitatem, imò & ipsis legumlatoribus obscura videtur fuisse, vt constat ex *l. definimus 13. infr. de agricol. ibi, definimus, vt inter inquilinos colonosue* (quorum quantum ad originem pertinet vindicandam indiscreta eademque penè videtur esse conditio, licet sit discrimen in nomine.) Quare Valase. *sup. q. 3. 2. n. 5.* ait censitos non vocari quòd censum, seu tributum præstarent dominis, sed quia in publicum censum referebantur cum fundis ipsis, & maius patrimonium efficiebant, *l. 4. infr. de agricol. & cens.* quod etiam tenet A. Fab. *in Iurispr. tit. 5. princ. 2. ill. 7.* quod si verum esset, multo magis deberent dici *adscriptitij*, quia censibus adscribebantur, vt loquitur Arcad. *in l. 2. infr. in quibus caus. coloni. ibi, coloni censibus dumtaxat adscripti, iuncta l. cum scimus 22. infr. de agricol. & l. litibus 20. eod.*

¶ † Omnes itaque isti agricolæ adscriptitiæ conditionis promiscuè aliquando vocantur hoc, vel illo nomine, *adscriptitius, colonus, censitus, & inquilinus.* Coloni, quia coloni liberis similes sunt, dum sub certa mercede colunt. *l. 4. l. colonos 15. cum alijs illo tit. de agricol.* Inquilinus, quia iis assimilatur qui domum, vel prædium eadem mercede conduxit. *l. fin. D. de migrando. l. 4. §. prator. D. de damno infect.* & sic in legibus antiquioribus pro his, qui prædijs adscribun-

tur, vsurpatur. *l. si quis inquilinos 112. D. de legat. 1. l. non tantum 17. in fi. D. de excusat. l. possessionum 11. C. comm. vtriusque iudicij. l. 4. §. si quis D. de censib. l. omnes 6. cum alijs, infr. de agricol. & cens.* docent supra adducti. quo in sensu vocantur *Inquilina* in præfenti mulieres, quæ ex patribus colonis, seu censitis procreabantur.

Sed difficile est quod in hac lege constituitur, natos ex matre inquilina & patre Decurione matris conditionem sequi, & non patris. Nam qui filius est Decurionis, Decurio futurus est, & conditionem curialem patris continuare & in curia remanere. *l. privilegio 27. l. in filijs 35. l. neque 61. cum alijs, h. t. l. prescriptionem 5. C. de prescrip. triginta.* ita vt senatorij ordinis exemplo vnusquisque patris sequatur conditionem. *l. exemplo 36. h. t. l. senatoris 6. l. fin. in fi. D. de senatorib.* At ex eo exemplo filij patrem sequuntur, ergo qui ex inquilina & Decurione natus est, debuit patrem sequendo Decurio fieri. Ratio est, quia ad splendorem, dignitatem, nobilitatem mater non confert, vt in dicta *l. eos 22. l. nullus 44. l. si ille 62. infr. h. t.* sed pater attenditur, *l. 1. §. qui ex duobus. D. ad municip. l. cum legitima 19. l. lex natura 24. D. de statu homin. l. 3. infr. de municipib. l. definimus 13. infr. de agricol. & cens. l. 1. §. fin. D. de iure immunitat. l. 3. tit. 2. l. p. 2. l. 10. tit. 11. lib. 2. Recop.* † Hæc assertio non abhorret à iure naturali, quo certum est patrem esse actiuum principium quod dat formam conceptui, cuius est nobilior materia, quàm matris, eamque nullum verum semen efficere affirmant multi & graues auctores cum Aristot. *lib. 1. de generat. animal. cap. 19. & 20.* Diuo Thom. *3. p. q. 32. art. 4.* quos referunt Conimbricen. *lib. 1. de generat. cap. 4. q. 27. art. 1.* Pined. *de reb. Salomon. lib. ... cap. 11. n. 6.* Carrança *de legitimo partu, c. 20. n. 3. & seq.* & quamuis contraria sententia verior reputetur à pluribus, quos refert Hurtado *disp. 2. de caus. & ordinè generat. sect. 5. §. 49.* & Carrança *supr.* Tamen negari non potest quin pater in generatione principalior sit, & fœmineum semen non sit simpliciter necessarium, vt tradit alios referens Petr. Garcia *in sen. 1. Auicena disp. 36. c. 5. in princ.* Scaliger *contra Cardan. exercit. 268.* † Vnde conceptus debuit denominari à principaliori parte, argumento *l. queritur 10. D. de statu hom.* vtpote à quo recipit esse tamquam à causa efficienti ac nobiliori principio suæ substantiæ. Quam ob causam semper sequitur filius familiam, agnationem, honores, dignitates patris. *l. 1. infr. de dignitat. cap. 2. de conuers. infidel. §. 1. vers. quia qui ex ea. de legit. agnat. tutel.*

zel. cum adductis supra, & iuxta ea quæ adducunt post Tiraquell. *de nobilit. cap. 18. num. 20. & seq.* Garcia *de nobil. glos. 1. §. 1. num. 33.* Pichard. *de nobil. commun. num. 9. & 84.* Cassan. *in Catal. glor. mund. 8. p. consid. 8.* & cum aliis Th. Sanch. *de matrimon. lib. 7. disp. 24. num. 1. & 2.* & ob id dixit Euripid. *Columna domus patris, liberi sunt masculi, quia in masculis conseruatur posteritas & successio, & ut ait Hesiodus, vnicus filius seruat paternam domum. quod voluit Iustinian. asserere in d. §. 1. de legitim. agnat. tutela, dum ait apud Romanos, filios patris, non matris, sequi familiam. quippe existimarunt, mulieres suæ familiæ finem esse. l. pronuntiatio 195. §. fin. D. de V. S. Cùm ergo decurionatus sit dignitas & honor, vt probauimus in rubr. videbatur dicendum patris conditionem esse attendendam, non verò matris inquilinæ.*

11 Quod multo fortiùs procedit, si attendamus vulgarem illam distinctionem, quam hîc adiiciunt Platea & Pyrrhus, Pichar. *de nobil. commun. n. 12.* Carrança *de partu c. 3. §. 3. n. 1.* & alij sequuntur à me relati *lib. 2. obser. c. 6. num. 43.* vt filius quoad statum & conditionem sequatur matrem, patrem verò quoad honores. *l. & seruorum 5. §. ingenui. l. legitima 19. in fin. l. lex natura 24. D. de statu hom. l. huiusmodi 84. §. legatum. D. de leg. 1. l. partum 7. C. de rei vind. l. fin. C. de liberal. caus. l. 2. tit. 21. p. 4.* elegantius probatur in *l. au. 28. iuncta l. non mutant 11. C. de liber. cau. l. neque 10. C. de probat. & ad animalia traduxit IC. in l. idem 5. §. idem 2. D. de rei vind. iunctis traditis à Pichar. *d. tract. de nobil. comm. n. 12. & 91. & in princ. Inst. de ingenuis. Donell. lib. 2. com. cap. 10. A. Fab. in Iurisp. tit. 4. princ. 2.* quod in causa fuit, vt Pichar. *ubi prox. n. 14.* existimauerit tutam non esse popularem eam distinctionem status, & dignitatis in filiis, cùm constet aliquando patris, & aliquando matris conditionem sequi in honoribus, vel conditione, motus auctoritate nostræ legis, quæ videtur contrarium statuisse.*

12 Verùm ea nihil contra eam distinctionem molitur, quia loquitur in filio nato ex muliere inquilina & adscriptitiæ conditionis, cuius conditio magis est seruilis, quàm libera. *l. mulier 16. infr. de agricol. & cens. ibi, Mulier quæ fuisse originaria docebitur si cuiuscumque liberi hominis sequuta consortium.* vbi notanda verba *liberi hominis*, quæ opponuntur originariis, siue adscriptitiis. *l. ne diutius 20. illo tit. ibi, quæ enim differentia est inter seruos & adscriptitios, cùm vterque in domini sui sit positus potestate. facit l. colonos 18. l. cùm scimus 21. illo tit. de agricol. & De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. 1.*

censit. l. quicumque, infr. de re milit. l. possessores, infr. de fundus patrimon. l. 1. & 2. infr. in quibus caus. coloni censiti dominos acc. poss. cum tit. seqq. l. 1. C. Th. de collegiatis. Nouell. Valentina. de colonis vagis tit. 9. & confert Sidon. lib. 5. epist. 19. ibi, stupratorem pro domino iam patronus originali soluas inquilinatu. Mulier autem libera est. docent Valascus sup. d. q. 37. n. 6. Amescua & A. Fab. sup. Ioan. Sauaro in not. ad Sidon. d. epist. 19.

† Et ideo cùm mater non sit ingenua, certum est ventrem debere eius conditionem sequi, etiam si pater esset Decurio, cuius honorem seruus assequi non potest. *l. 1. inf. si seruus, aut libert. l. Severus 9. D. hoc tit.* vbi etsi pater esset seruus, dum tamen mater sit libera, rectè filius Decurio fieri potest. quæ est verior interpretatio (vt ex infrà dicendis apparebit) quàm quæ traditur à Cuiac. & aliis *in presenti*, qui exceptionem esse regulæ generalis supradictæ aiebant quando filius nascitur ex inquilina Principis. quod & sensit *in presenti* Platea. † Ratio autem dubitandi fuit, quia etsi huiusmodi mulieres seruæ videantur, non tamen omnino sunt seruituti obnoxia, vt disertè explicat *l. 2. infr. in quibus caus. colon. illic, Coloni censibus dumtaxat adscripti, sicuti ab his liberi sunt, quibus eos tributa subiectos non faciunt, ita his quibus annuis functionibus & debito conditionis obnoxij sunt penè est vt quadam dediti seruitudine videantur. l. vnic. infr. de colonis Thracens. ibi, & licet conditione videantur ingenui, serui tamen terra ipsius, cui nati sunt, existimantur. & sic testamentum facere potuerunt huiusmodi genus homines, d. l. 2. infr. in quib. cau. col. & consequenter testes esse, vt tenet Accur. in *Auth. seruus C. de testib. & matrimonium contrahere, l. fin. infr. de agric. & cens. at seruus testamentum facere nequit. §. seruus. l. quibus non est permis. facer. test. neque matrimonium contrahere. l. 3. C. de incest. nupt. cum vulgat. Paul. lib. 2. sentent. tit. 20.* & cùm serui nihil proprium habeant, *l. placet, de acquir. hered. isti suarum rerum habent dominium, l. 4. infr. de agricol. & cens. vbi notat Accur. verb. suis. † Sed ea non obstante in specie nostra filius deteriorem matris conditionem sequitur, id est, seruillem, vt quamuis patrem habeat Decurionem, non sit Decurio. Ratio nō est in promptu, neque à Doctoribus quidquam deduces quod possit nos in eam ducere. Ea tamen mihi aptior videtur, quæ deducitur ex conditione pessima adscriptitorum & inquilinorum, nam ita glebæ adscribebantur, vt inde recedere non possent, *l. coloni 15. infr. de agricol. & cens. adeoque inhærebant***

terrarum, ut inde refugientes ad prædia reducerentur inuiti, *l. cum satis* 23. §. cum autem, illo tit. *l. vnic. infr. de colonis Palæstin. cum vit. seqq.* Quapropter membra eius terræ reputabantur *in d. iuribus*, & præcipue *d. l. cum satis, in princ.* Quod etiam ad filios deriuatum est, ut *ibi docet Imperator in §. 1. illis verbis, Sancimus liberos colonorum esse quidem in perpetuum liberos, & nulla deteriori conditione prægrauari, non autem habere licentiam vel. c. suo rure ad aliud migrare, sed semper terra inhaereant, quam semel colendam patres eorum susceperunt.* Quomodo ergo ad decurionatum aspirare poterat qui à rure non poterat recedere? quæ erat magna species seruitutis, ex iis, quæ dixi ad interpretationem *l. Titio centum, §. Titio centum, lib. 1. obser. cap. 6. †* Idque aded procedit, ut cum dubitaretur, an natus ex libero & adscriptitia, vel è contrà, liber esset, definitum est, effici adscriptitium, ut disertè scriptum est *in l. ne diutius* 20. & *l. fin. infr. de agricol. & cens. ibi, ut si ex libero marito & adscriptitia uxore partus fuerit editus, is materna conditionis maculam, & non paternam sequatur libertatem.* iuncta lege nostra, quæ non potest specialiter procedere in inquilinis Principum, cum dictis iuribus id in vniuersum statuatur, imò extenditur in præsentem ius commune, ut procedat, etiam si inquilina sit Principis, & ante *d. l. fin.* indistinctè erat adscriptitius, siue ex libera, siue ex adscriptitia matre nasceretur, ut constat *ex Nouell. 54.* quæ est *Auth. Constitutionem quæ ex adscriptitio & libera natos, &c.* & notauit eleganter Cuiac. *lib. 4. obser. cap. 28.* ut sic non attendetur quoad hanc adscriptitiorum naturam matris status, sed quocumque parente aut adscriptitio, aut libera, vel econtra natus eam conditionem sequebatur.

17 Istiusmodi iuris introducendi ratio nulla alia videtur fuisse, nisi fauor agricolationis & agriculturæ, quæ omnium artium nulla hominibus & reipublicæ conuenientior est, cum agricolæ sint nerui totius reipublicæ, ut dicebat Dionysius Rex Portugallæ, & membrum principale, teste Arist. *lib. 6. politic. c. 4. & lib. 7. c. 8.* confertque Plato *lib. 2. de Republ.* quem refert IC. *in l. 2. D. de nundinis.* Tiraquell. *de nobilit. c. 32. toto.* & quæ scribit Adam. Conzen *lib. 8. politicor. c. 11.* vnde maximè commendantur *Ecclesiast. 7.* Quapropter ius ciuile maximis eos affecit priuilegiis. *l. 1. §. sed & si quis 5. & §. Labeo 7. cum seqq. D. de aqua pluuiæ. l. fin. C. de seruitut. l. fin. C. de testamen. l. 1. & 2. infr. ne rusticani. l. penul. C. qui admitti. l. pignorum 8. cum Auth. seq. C. quæ res pignor. l. si quis id 7. §.*

*doli. de iurisdic. l. 1. C. Th. de cursu publ. & ius septempartitum l. 3. tit. 10. p. 2. & Canonicum, ut ex constitutionibus Clementis V. & Pij V. constat, quas refert P. Gregor. de Republ. lib. 4. c. 8. n. 6. & in agriculturæ conseruationem multa sunt & antiquis & nostris temporibus constituta priuilegia, quæ referunt post Plat. hic, Tiraquell. de pænis temper. caus. 11. Menoch. de arbitr. cas. 194. & 378. Cuiac. & Gothofr. in tit. C. quæ res pignor. circa explicationem d. l. pignorum. Pichar. in manud. ad praxim 2. p. præcep. 9. Bobadill. lib. 3. politic. c. 3. n. 61. & seq. & lib. 5. c. 9. in princ. latissimè Collâtes integro tract. de re frumentar. c. 1. & lib. 3. c. 16. Narbona in l. 25. glos. 1. tit. 21. lib. 4. Recop. Quin etiam & hodie nostri Reges beneficio agricolæ non possunt esse fideiussores, & aliis priuilegiis ornantur propter fauorem supradictum. At deserendi agriculturam daretur occasio si adscriptitius à terra qualibet de causa abduceretur, & ut plures colonos domus Augusta haberet, constituitur ut mater nō profit, imò noceat filiis. *l. 4. inf. de agric. & manc. facit l. hi qui 12. infr. de muril.**

18 Extra hunc autem casum lege nostra comprehensum, regulare est, ut partus ventrem sequatur quoad statum & conditionem, quod videtur introductum fauore libertatis, cuius gratia multa à iure legimus introducta specialia, ut ego tradidi *lib. 3. obser. c. 7. n. 1.* quoniam mater pluribus temporibus prodesse magis potest, quàm pater, *l. & seruorum 5. §. ingenui. D. de statu hominum. §. sed etsi quis. Inst. de ingenuis. Paull. lib. 2. sent. tit. 15. vers. si serua.* cum aliis à me adductis *lib. 2. obser. cap. 6. num. 43.* in patre vnicum tantum tempus inspicitur, id est, generationis. quo tempore pater, ut dixi *sup. num. 9.* est causa principalis, à qua tamquam à principio honores, originem, nobilitatem consequitur; in matre verò multa tempora animaduertuntur, scilicet generationis, conceptionis, natiuitatis, & medijs inter easdem res, & ita conditio ab ea deriuatur, iuxta supradicta. quam rationem tenuit Bal. *in l. fin. C. de seruis fugit. Salicet. in d. l. partum. C. de R. V. circa fin. & eis non relatis Pichar. de nobil. comm. n. 93. Cuiac. lib. 14. quæst. Papin. in l. 2. D. ne de statu defunct. & eleganter Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 24. num. 5.* (licet non rectè videatur loqui doctissimus vir, attenda disputatione iuris, dum asserit partum esse fructum matris magis, quàm patris, de qua dixi *lib. 3. obs. cap. 1. §. 1. tot.*) Sihar. *in l. partum C. de rei vind. n. 3.*

19 Sed ab hac receptissima sententia recessit omnium primus Guilielmus, quem sequuntur

quantur Antonius num. 9. & Præposit. n. 1. in cap. 1. & 4. de coniugio seruorum, & postea A. Fab. in Iurispr. tit. 4. princ. 2. & in manuscriptis Codicibus Salmanticensibus à pluribus præceptoribus id scriptum inuenies. quorum nulla mentione facta, ut mos ei est, magis libidine contradicendi, ut solet, his auctoribus adhæsit Carrança de partu c. 3. §. 3. n. 4. & seqq. qui dicunt regulam illam ut partum ventrem sequatur, procedere in filiis extra matrimonium quæsitis, non verò in filiis ex iustis nuptiis procreatis: cuius doctrinæ eam esse rationem addunt, quia cum nullum interuenit connubium, mater est certa, pater incertus. l. 5. D. de in ius voc. l. lex nature 24. D. de statu homin. Vnde inquirunt errare eos, qui ad libertatis fauorem hoc referunt, cum id ex necessitate naturæ proueniat, quoniam effici non potest, ut matris conditionem non sequatur is, qui patrem nullum habet. l. 1. in fin. D. ad municipal. & si libertatis fauor attenderetur, in hoc casu conuenientius videbatur, ita ius constitui, ut patris potius, quàm matris conditio inspiceretur; sed quia non nisi inter liberas personas matrimonium esse potest, princ. Inst. de nuptijs, princ. Inst. de seruil. cognat. dixi lib. 2. obs. cap. 1. num. 2. & cap. 5. num. 48. pater omnino incertus erit, quisquis talis est, qui ex nuptiis certus demonstrari non potest, qualis est seruus. & ita sentire videtur D. Isidorus lib. 9. etymol. cap. 5. relatus in cap. fin. 32. q. 4. ibi, semper qui nascitur deteriorem partem sumit. & rursus, ij verò qui non sunt de legitimo matrimonio, matrem potius, quàm patrem sequuntur. † Hæc sunt fundamenta huius opinionis, quam ita credit veram Carrança suo, ut solet, indulgens ingenio, ut vna tantum columna dixerit num. 6. ut inde veniat notandus & refellendus Fr. Conanus. & postea, insuper habenda, vel reijcienda rationes, quas adducit Baldus. & paulo post illis verbis sesquipedalibus, quibus buccas inflat, & tumet, illegitimus, inlatio, inrideo, & similibus vtens, ait, & simul inridenda est illa ratio, quam expendit Gutierrez. Quanto meliùs irridenda esset Grammatica illa eiusdem ibidem, Ad hæc prædicta verissima causa attenda. Dices præli mendum, concederem, si Petauus alios similes lapsus non notasset.

21 Sed ad seria deueniamus. Rationem igitur Baldi verioreni censeo, Fabri & Carrança non probo opinamentum. Asseroque filios etiam ex legitimo matrimonio procreatos sequi conditionem matris quoad libertatem & seruitutem. id ita expressè expressit Martianus IC. in d. l. & seruo De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. I.

rum §. §. ingenui, de stat. hom. ut mirer viros doctos in contrariam iuisse sententiam, si notarent illa verba, nec inter istos iustis conceptis, an vulgo quæ nequeunt vlla interpretatione cauillari. Neque admittendus est A. Fab. qui in Rational. hunc totum versum ait ineptè interiectum ab aliquo interprete. hoc enim est scindere iura, non verò explicare. Rursus expendo l. partum 7. C. de R. V. ibi, in hac specie. quasi dicat quod attinet ad conditionem, pater non consideratur, quod generaliter dictum putare debemus ex l. si spurius 4. D. unde cognati, ibi, quia consanguinitatis, itemque agnationis iura à patre oriuntur. ergo non iura conditionis. Vltèriùs, quia accidere potest multis ex causis, ut mutetur status parentum, & qui in matrimonio & libertate filium genuerunt, postea statu mutato filium nanciscantur in seruitute. l. multis 17. C. de liberal. cau. quò pertinet l. aui 28. eod. illo tit. quæ superuacanea esset, si tantum in vulgo quæsitis inspiceretur matris conditio. Vltimò facit c. fin. de seruis non ordin. & locus Exod. c. 21. quibus fundamentis hanc partem tuentur Panorm. & Alex. de Neuo & alij ex Canonistis, quos laudat Sanchez d. disp. 24. n. 8. & expressè docuit glos. in d. c. fin. de seruis non ordin. verb. mater iua. ibi, Dico ergo quòd iste erat natus de legitimo matrimonio, & tunc sequitur conditionem liberae matris. C. de rei vind. l. partum.

Neque contra nos aliquid faciunt d. l. 22 cum legitima 19. & d. l. lex nature 24. D. de stat. hom. nam verba illa matrem sequitur, accipienda sunt non de libertate, sed de origine, familia, agnatione. Idque euidenter patet. nam cum in d. l. lex nature, dicitur filius qui nascitur extra matrimonium, matrem sequi, deduceretur inde illa consecutio, ergo quando interuenit matrimonium, non sequitur matrem. Hoc tamen est falsum, quia quoad libertatem non inspicitur matrimonium, neque vulgo conceptio. d. l. 5. §. ingenui, de stat. hom. Atque ita debemus accipere illa verba de vulgo conceptis, ut quoad honores & originem matrem sequantur. quod rectè notauit Accur. in d. l. lex nature, schol. ult. vers. sed non. licet ab Anton. Fab. hoc non fuerit animaduersum, neque Donell. lib. 2. comm. cap. 10. & ibi Osuual. lit. G. Neque etiam obstat diui Isidori locus, quia illa verba, deteriorem partem, exponunt supra adducti, id est, debiliorem, qualis est fœmina, argumento l. in multis 9. de stat. hom.

Rursus fallitur Carrança d. §. 3. n. 4. dum 23 asserit patrem nullum dici sine nuptiis, ex l. quia semper 5. D. de in ius vocan. Quia ea

lex accipi debet secundum subiectam materiam in ius vocationis, alias obstaret *l. 4. §. fin. & l. parentes 6. illo titulo.* vbi parentes vocantur etiam si in seruitute susceperunt, & tamen naturales parentes eadem reuerentia prosequuntur in eis legibus, qua & pater legitimus *in d. l. quia.* vt non possint in ius vocari sine venia. Series autem earum legum longè difficilis est circa ordinationem sensus Iureconsultorum, ita vt doctissimo Antonio Fabro *in Ration. ad d. l. 4. §. p.* videatur corruptus. & hoc sanè non sine ratione, quia cum ibi asseratur ex Labeonis sententia, etiam spurios, & in seruitute susceptos filios sine venia non posse in ius vocare suos patres, videtur lex subsequens, quæ est quinta, ineptè collocata. Verùm earum sensus verus in eo iudicio est, edicto de in ius vocando contineri parentes non solum iustos & legitimos, sed etiam omnes, ita vt vulgo quæsi matrem non possint in ius vocare tantum, quia ea est certa: at de patre nihil certi possumus scire, vt dicamus eum esse, qui in ius non sit vocandus, quia nempe, an sit hic, vel ille, ignoratur, nisi mediante matrimonio demonstretur vt sic comprehendatur edicto illo. Non tamen inde sequitur consecutio Carranæ. ergo non datur pater sine nuptiis, cum seruus ex contubernio suscipiens liberos pater dicatur, & tamen non possunt dici eius filij suscepti ex matrimonio, *princ. Inst. de nuptis* cum vulgatis.

24 Fortius contra nostram opinionem potuissent contrariæ assertores adducere Papiniani difficile responsum *in l. 2. D. de statu defunctor.* vbi agens de Senatusconsulto, quo cautum est, ne post quinquennium quam defunctus est, qui vt liber in diem mortis sine controuersia de statu vixit, quæstio moueatur, quasi ille non fuerit liber, adiicit non esse filiis libertatis quæstionem inferendam, id est, non esse filios in seruitutem petendos, *propter matris, vel patris memoriam.* Ergo præsupponit non solum posse quem esse seruum propter matrem, scilicet quia fuit ancilla petitoris, verùm & propter patrem, quia ipse seruus cum fuerit, seruum debuit generare. quod & adstruitur ex *l. penul. C. eod. illo tit.* vbi etiam videtur status filij à seruitute patris pendere, non à matre. † Hanc difficultatem agnouit Cuiac. *lib. 14. quæst. Pap. ibi.* dum ait prima specie videri abundare vocem illam *patris*, quia non à patre, sed à matre seruitutem, vel libertatem trahimus, *d. l. partum,* cum vulgatis. & eam ita dissoluit, vt ex seruo & libera liber nasceretur, introductum esse ab Alexandro Seuero fauore liberta-

26 tis, cuius Imperatoris tempora cum non attingerit Papinianus, qui multò antè vixit, suo sæculo vsu erat receptum contrarium, vt ex seruo & libera natus deterioris parentis conditionem sequeretur. Sed hoc non tollit difficultatem, quia Seuerus, de quo meminit Paul. *in l. Seuerus 9. D. de decurion.* non est Alexander Seuerus, sed Septimius Seuerus, cuius tempore viuebat Papinianus, si quidem certum est eum ab Antonio Caracallo Seueri filio fuisse negatum, vt docemur auctoritate Spartiani *in Seuero, ad fin.* & sic Paullus semper Seuerum eo nomine nuncupat, vt *in l. Luctus 21. §. Imperatores 6. D. ad municip.* † Rursus, quia Paul. *in d. l. Seuerus* agit de decurionatu, an adipisci posset à filio serui. nam videbatur non posse, cum patris origo in eis inspiciatur, vt in legibus nostris; vnde cum serui filius originem patris non habeat, Decurio effici non poterat; verùm decidit contrarium Imperator Seuerus, vt possit esse Decurio in ciuitate materna, si videlicet sit creatus. *l. 3. §. spurios. l. spurios 6. D. de decurionibus.*

27 Quare pensatis iterum atque iterum Papiniani verbis, dicebam Salmanticæ auditoribus meis, cum Cathedram Voluminis moderarem, *in d. l. 2.* non agi de quæstione illata filiis viuentibus, vt sic reuocarentur in seruitutem, ex eo quod pater, aut mater eorum serui quoque fuissent. Nam quæstio illa non fuit, nisi cum defunctis, vt constat ex *rub. illius tit. Ne de statu defunctorum post quinquennium queratur.* Itaque cum Titij, vel Titia status causa ageretur, & mortui essent, transactumque fuerit quinquennium, post quod agi non licet, volebat dominus, qui eis causam mouebat, cum filiis eorum litem peragere, & finire, non verò reuocabat filios in seruitutem, quia pater esset seruus, sed tantum agebat de libertate, vel seruitute eius, vnde cessat argumentum supra adductum. Ratio autem dubitandi quomodo transacto quinquennio dominus litem peragere volebat, ea erat, quia litis contestatio perpetuat actionem, & sic non erat attendendum quinquennium. *l. nam posteaquam 9. §. si is qui 3. D. de iureiuran. l. fin. in fin. D. de fideiuss. tutor. cum adductis à Cuiac. lib. 18. obser. cap. 29 Osval. ad Donell. lib. 5. cap. fin. lit. H.* Sed nihilominus hoc non posse fieri docet Papin. quia à die mortis parentum transactum fuit quinquennium, & præscriptio illa quæ statum defunctorum tuetur, exclusus iam est. † Quæ interpretatio 28 suadetur ex eo, quoniam si filio, & non parentibus, quæstio libertatis inferretur, suo nomine

nomine debebat in litem vocari. *l. fin. C. de liber. caus. l. partum 10. D. de usuris.* quo in casu non potuit excipere filius de præscriptione quinquennij, atque ita certum est de parentum seruitute, aut libertate tractatum fuisse. Rursus, quia etsi de conditione matris tractandum sit, cum de filio in seruitutem reuocando tractatur, *l. 2. C. ne de statu defunct.* Tamen non rectè sequitur filium esse seruum, quia mater, aut pater seruus fuerit, cum prægnans dum esset mater, potuit aliquo tempore esse libera. *d. l. 5. §. ingenui, D. de stat. hom. vel post natiuitatem à domino manumissus, vt in l. si ab eo 7. iuncta l. aui 28. in fin. C. de liber. caus. & ita dicendum est petiturum fuisse contra filios heredes parentum suorum, vt sic actor extorqueret bona relicta, vt in specie l. 4. C. ne de statu defunct. cui petitioni filius excipiebat de præscriptione quinquennij à morte parentum transacti, quo iam lis erat mortua, quæ exceptio inepta esset si super filij libertate ageretur. & eo modo intelligenda est *l. pen. C. ne de statu defunct. iuncta glos. ibi verb. status.**

29 Rursus notandus est lapsus alius Carrançæ, qui in *d. cap. 3. §. 3. num. 3. & 4.* cum dixisset matris conditionem attendendam in partu extra legitimum matrimonium suscepto, in quo, inquit, *lex hæc natura est, vt matrem sequatur.* postea *num. 12.* quis non credet affirmare debuisse in partu legitimo contrarium obseruari. Nam cum ea distinctione vteretur inter partum extra matrimonium habitum, & inter eum, qui iustis nuptiis procreatus est, & prius de vulgo conceptis egerit, & dixerit in eis matris conditionem attendi, necessariò erat dicendum in secunda parte distinctionis partum legitimum non sequi matris conditionem. Hunc ordinem ipse negligens asserit, ita, *Hu sic constitutis in partu sine matrimonio habito superest examinare quid tenendum in partu ex iustis nuptijs procedenti? Sed pluribus omisissis ita componenda est controuersia, vt quod attinet ad statum libertatis, aut seruitutis filij, etiam ex legitimo matrimonio procreati, matris conditionem semper sequantur, in dignitatibus tamen & honoribus patrem.* Ad quid enim præcessit tota illa distinctionis moles, plurimis verbis paucissimis rebus tam longas, tamque rigidas periodos vno spiritu quasi torrente contorqueus? (vt Plinij iunioris verba detorqueam *lib. 5. epist. pen.*)

30 Sed nondum & cum Carrança in gratiam redire decreui, alia est cum eo controuersia circa examen illius quæstionis, an filius naturalis ex ancilla susceptus à vi-

ro nobili gaudeat nobilitate paterna. Nam in comperto est apud nos naturales filios nobilitate paterna potiri. (*Naturales* voco quorum parentes conceptionis, aut natiuitatis tempore potuerunt contrahere matrimonium, vt ex *l. 11. Taur.* docent à me relati *lib. 1. obseru. cap. 4. num. 1. & 2.*) quod videtur probari in *l. liberos 10. D. de Senator. & de iure regio expressum est l. 1. tit. 11. part. 7. Ceuall. com. quæst. 2. num. 49. Thom. Sanch. lib. 7. disp. 24. num. 2. Aceued. in l. 10. tit. 8. lib. 5. Recep. num. 51. Quæstionem igitur supradictam tractauit Thom. Sanch. vbi proximè *num. 3. & 4.* & nouissimè asseritor meus doctissimus & acutissimus contra Carrançam defendit D. Michael de Arellano, Regius in Hispalensi Curia Senator *lib. singul. lectio. cap. 2. quæst. 4. pag. 73.* (& insinuauit Afflict. *decis. 203.* & Mieres de maiorat. 2. part. quæst. 2. num. 127.) pro nobilitate calculum præbentes rectissimè, affirmantesque post manumissionem nobilem esse talem filium. Contra verò insurgit Carrança *d. cap. 3. §. 3. num. 18. & seqq.* eademmet argumenta quæ Sanchez contra suam sententiam cumulauerat extendens & amplians. Primum, seruum quoad ius ciuile pro nihilo reputari, *l. quod attinet 32. D. de reg. iur. idque vanè & gloriose,* vt solet, extendit, nihil tamen adducit quod sententiam Sanchij validius impugnet, nisi seruitutem morti æquiparari, assimilari, seruos pro mortuis haberi, & alia id genus, quæ Sanctius egregiè considerauerat, & præter eum Gama *decis. 167. ex num. 1. & nos lib. 1. obs. cap. 13. num. 1. & seq.* Postea autem adiicit: Ex his omnibus perquam euidentis est, (attende euidentiam) nam ita confingit argumentum. Seruus pro nihilo reputatur, seruus pro mortuo habetur, *l. seruitutem 209. D. de reg. iur. l. interdict 59. D. de cond. & dem.* ergo non gaudet nobilitate paterna tamquam si quæstio conciperetur de tempore seruitutis.*

Dicemus itaque hunc filium naturalem post manumissionem gaudere nobilitate paterna, quia postquam manumissus est, ei omnia iura competere cœperunt quæ filiis naturalibus solent. Id sequentibus considerationibus probatur, non piis & ex æquitate magis petitis, quàm ex stricta iuris ratione. Prima sit. Nam si ipse pater, idemque dominus, ancillam illam duxisset, filius ille legitimus & suus heres patri esset, vt docemur *Novell. 78. cap. 4. quæ est Auth. vt liberti de cætero. §. & ita.* vbi id ita decisum extat. At quid magis repugnat seruituti, quàm esse heredem suum, & legitimum filium? *princ. Inst. de nupt. §. sui. Inst.*

de hered. qual. Rursus, quemadmodum post manumissionem seruus efficitur ciuis Romanus, §. libertinorum. Inst. de libertin. & sic omnia iura, quæ ciuibus Romanis competunt, ei conceduntur. ergo eodem modo & in proposito filio ex ancilla suscepto iam manumisso, ea iura, quæ Nobilibus conceduntur, ei quoque concessa censentur, & si dicatur contrarium esse, quando non est matrimonium inter dominum & seruam, assignari debet ratio differentia, quam ego non video, & si dicatur non loqui in filio manumisso, sed adhuc seruo, ridicula erit tractatio, cum præterquam quod seruus nihil sit, & reputetur nihil, nulla habet bona vt à tributis & contributionibus plebeiorum immunis sit, vt patet, atque ita necessaria est in hac specie libertas nati. qui dum seruus est, habet in potentia nobilitatem, licet in actu eam non habeat, donec manumittatur. † Facit etiam pro hac parte l. emancipatum 7. §. fin. in fin. D. de senator. vbi si filius senatoris amiserit dignitatem, & postea filium habeat, talis dicitur nepos senatoris, & adiicit Consultus ita dicendum esse, quia ait, vt aui dignitas magis proficit, quam obsit casus patris. ergo eodem modo in nostra specie dignitas & libertas parentis prodesse debet magis, quam conditio matris nocere. † Secunda consideratio est, quod cum dicimus filium naturalem, non minus intelligimus ex libera, quam ex ancilla susceptum (iam factum liberum intelligas) vt expressè docemur in l. ex facto 17. §. si quis rogatus 1. D. ad Trebellian. ibi, etiam naturalem filium efficere, vt deficiat conditio, & in libertino eodem colliberto hoc scribit, vnde cum d. l. i. tit. 11. part. 7. non distinguat, sed tantum dicat fidalgo es aquel que es nacido de padre fidalgo quier lo sea la madre quier non solo que sea su muger velada o amiga que tenga conocidamente por suya. id est, ex concubina susceptum, appellatione concubine comprehenditur quælibet mulier, siue ea sit libera, siue serua. l. Masurius 144. D. de verb. sig. Præcipue, quia cum lex non distinguat, nec nos distinguere debemus, ex iuribus vulgaribus. imò ipsa lex statuit non esse attendendam matris qualitatem, cum ait, quier lo sea la madre quier non. † Idque apertè adstruitur ex l. fin. D. de iure deliber. vbi filij appellatione continetur etiam ex ancilla & in seruitute susceptus, vt rectè notauit ibi Bald. & post eum Gothofr. & Cuiac. lib. 3. obseru. cap. 37. Menoch. de presumt. lib. 4. presumt. 78. num. 14. & seq. cum aliis, & expressè probatur in l. cum pater 77. §. volo 13. l. Lucius 88. §. fin. de legat. 2. ibi, quia creditur ap-

pellatione filiorum & naturales liberos in seruitute susceptos contineri. l. generaliter 6. in fin. C. de institut. & subst. ibi, vt quod inter iustos liberos sancitum est, hoc & in naturales filios extendatur. † Quod magis verum efficitur, si addas cum A. Fab. in Iurisp. tit. 9. princ. 2. illat. 1. pag. 376. veterem iurisprudentiam nullum alium filium naturalem cognouisse, nisi natum ex ancilla, vt videtur probari Nouell. 89. quæ est Auth. quibus mod. natur. efficitur, in princ. licet de eo dubitauerim cum Osval. lib. 6. Don. cap. 17. lit. 2. quem non vidit Carrança de partu cap. 3. §. 4. num. 45. vbi eam sententiam neruose defendit, vsque ad Constantinum iure ciuili nihil esse dispositum de filiis naturalibus, quem errorem iam confutat noster Dom. D. Ioan. Larrea decis. Gran. disp. 32. num. 12. † Vnde cum certum sit ius septempartitum statuisse filium naturalem nobilitate gaudere, constat etiam eam habere debere filium ex ancilla susceptum, quia non minus dicitur filius naturalis, etiam attento iure regio, quam filius ex libera susceptus. Hoc fit euidentius eo argumento. Nam ex l. 11. Taur. quæ est l. 9. tit. 8. lib. 5. Recop. filius naturalis dicitur ille, qui nascitur ex soluto & soluta, inter quos tum temporis potuit contrahi matrimonium. Sed inter dominum & seruam potuit contrahi matrimonium aut tempore conceptionis, aut natiuitatis. cap. 1. iuncta glos. ibi verb. inter seruos, cum cap. seq. extr. de coniugio seruor. cap. si quis ingenuus 29. quæst. 2. ergo filius erit naturalis, & pro tali erit reputandus, argumento elegantissimi Vlpiani responsi in l. si quis ingenuam 21. D. de captiuis. ex qua nota vltra Ant. Fab. in Iurisp. tit. 11. princ. 8. illat. 22. & Schifordegh. ad eum lib. 3. tract. 21. quæst. 8. ibi mulierem fuisse quasi seruam, l. qui testamentum 20. §. 1. D. de testam. & filium ex ea susceptum dici naturalem. † Et ita censuerunt plures ex nostris, filium conceptum ex ancilla propria, siue aliena (dum tamen inter parentes potuit contrahi matrimonium) esse filium naturalem, vt docent Tellus in d. l. 11. Taur. Gama decis. 312. & d. decis. 167. num. 6. Matienz. in l. 9. tit. 8. glos. 2. num. 4. vbi etiam Aceued. num. 8. & 9. lib. 5. Recop. Gab. Pereyr. decis. 12. num. 11. & seq. & ita affirmandum erit verè talem filium post manumissionem esse nobilem.

Sed quia incidimus in Carrancam & tractatum de partu, patere, mi lector, tantisper subsisterè, & quamuis locus propriæ disputationi non sit, saltem commenta eius auctoris spongia refellere quasi per indicem. Is enim falsò meis sententiis imponit, &

& calumniosus me reprehendit circa illam quaestionem, *An partus sit pars matris*, de qua egi *lib. 3. obseru. cap. 1. §. 2.* & ipse in *tract. de partu cap. 2. vbi num. 10.* ait in illius quaestionis tractatione, an venter sit animal, vel non, *me iura plura mutilata adduxisse d. §. 2. num. 5. cum Hotomanus diligenter ea congesserit.* Nonne notari debet Hispanus qui haereticum & ab Ecclesia damnatum Gallum contra suum popularem laudat? Ridebis si leges Hotomanum, qui secutus suae gentis morem, vix quatuor iura adduxit, neque intellexit. Ridebis, & tandem cachinnos multiplicabis, si à nostro Carrança quaeras, quid sibi vult hoc verbum *mutilata*. Quid est? Mutilare iura ego dicerem de his, qui versus, aut verba Consultorum expungunt, aut detrahunt, qui detruncant textus literam. Ego ne ea ita proposui, mi Carrança? in te magis mutilationem retorquendam quilibet sanus existimabit. Nam *mutilare* in verusto senatus decreto, quod ab Agellio refertur *lib. 2. cap. 24.* & agnoscit Brissonius, conuitia agitare significat. At ô tu quum auctorum grauissimorum nomen & doctrinam non notasti, conuitiasti, reprehendisti cum felle, cum fastu, cum fastidio. Ecce tuus index Criticus, in quo plures NN. inueniuntur nigrae notatrices, quam alia littera salutare. Omitto Gallos, Italos, antiquos, iuniores, in quos crudeliter saeuisti, propono grauissimos & doctissimos Iurisprudentiae Coryphaeos Gabrielem Enriquez, Ioannem Solorzanum, Antonium Pichardum, Alphonsum de Lara, quos numquam laudas, & plerumque vituperas. & quamuis non negem in contentione ingenij, & doctrinae veritate aperienda magis veritatem attendendam, quam cuiusque etiam doctissimi auctoritatem, tamen à sententia aliorum recedere cuiuslibet licet modestè, temperatè, vt enim cordatus quidam dixit, nihil est omnino, quod hominem cuiuslibet magis gratum acceptumque reddat, quam modestia, quod & tu scribis in fine tuae diatribae contra Petauium.

39 Pergit meus Carrança *eodem cap. 2. n. 19.* & ait, *Fateor in Digestis duas esse leges, non plures, quidquid nouissimè asserat & adstruere conatus fuerit D. Amaya inferius referendus, & refellendus, quibus expressè dicitur partum non matris partem, imò rem esse diuersam.* Confinigit hæc ex proprio cerebro. Nam ego *d. cap. 1. §. 2. num. 5. & §. 3. num. 30.* vbi de ea re ago, non dixi esse duas leges, neque plures, quæ id probarent, sed ita scripsi. *Neque Marcelli opinio destituta est iuris auctoritate. nam eam videtur probasse*

Vlpianus. & postea adduco alias leges, quæ coacta iuris ratione debent procedere, at-tenta opinione Marcelli. Postea *num. 12.* propono contrariam Sæuolæ sententiam, his verbis. *Verùm licet hæc & iuris auctoritate & DD. assensu fulciatur opinio, tamen contraria, scilicet partum non esse rei furtiua partem, non minorem habet auctoritatem. Eius auctor fuit Sæuola lib. 11. quaestion. vt refert Vlpian. in l. partum 26. de V. S. & in l. si aliena. §. Sæuola, de vsuc.* Postea adduco plures leges, quibus sicut aliis ex iuris disputatione Marcelli opinio adstruebatur, ita & Sæuolæ. vbi autem de duabus legibus, vel pluribus sermonem institui? & quare non satisfecit calumniator iste locis pro me adductis, & pro opinione Sæuolæ? nonne imposturam vides? Sed attende magnum errorem meum quod adhæseram sententiæ Sæuolæ, cum ipse nihil aliud responderet ad Sæuolæ auctoritatem, nisi quod ibi proponatur ab Vlpiano, & non sequatur. Miserum sanè genus interpretandi, Sæuolæ fundamenta inculcare, & femicomedere, & cum omnia ligurierit, nihil digerere, sed, vt mos fuit Græcorum, quibus pro copia est volubilitas, ita & noster Antagonista, quem dices rectè gracissimum. † Parco variis calumniis, solum referam quod *num. 27. ad fin.* adducit, ita in-
40 *quiens, & huc reducenda sunt quæ post ista scripta verborum multiloquio, & parum apto, video tractasse D. Amayam lib. 3. obseru. cap. 1. §. 2. ex num. 32. horum iurium preextu, quæ ipse supernacue adduxit, oleum & operam perdens.* Conuitia hæc magno risu excepi, cum legi post sua scripta me oleum & operam perdidisse. distingue tempora qui de temporibus scripsisti, ego ne post tua scripta? imò, credo, si mea non euoluisses, nihil de ea quaestione scripsisses. omnia à me mutuaisti, sed ita te geris, vt solet animal si quod in viridarium floribus & herbis vbertissimum subintravit, hæc calcat, illud inculcat, alterum comedit, omnia pessumdat; ita meum librum, à quo multa hausisti, plurima accepisti, ingratus vilipendis, obtestorque me totum illud caput secundum tui libri euoluisses multoties, & quid pro certo tradis inuenire nequisse. † Solum intellexi articulum illum, in quo
41 *me ita reprehendis cap. 3. §. 1. num. 71. quod dixerim d. §. 1. num. 45. hodie de iure nostro partitarum æqualem esse factam conditionem & partus ancillarum, & fructus pecorum quoad eorum vsucapionem. Ad iicis, Hæc quæ de vsucapione ancilla furtiue diximus, & duximus, à Iurisprudentia fontibus admittit lex patria §. tit. 29. part. 3. nisi quod*

quod eius auctores partem ancilla & pecorum confundentes utriusque unam & eandem constituunt rationem, non aptam iuris principijs & decisioni. *l. in pecudum. D. de usur. quibus concinit alia lex partita 23. tit. 31. p. 3. qui standum est, contra d. l. 5. quidquid D. Amaya in contrarium securè adseruerit d. cap. 1. §. 1. num. 45.* O Hispani mei! adiuro vos, & iure appello, imploro vestram fidem pro vestro laudatissimo Partitarum iure, quod nec à dentibus Carrancæ liberum euasit! Triumphat profectò noster Zoilus equis albis, ego teneor & deprehendor miser. Verùm si ipse attendisset, legum partitarum mentem non ita clamaret, nec impingeret mihi culpam. † Nam *d. l. 5. partita*, rectissimè æqualem fecit earum rerum conditionem, vt in eis adquirendis requireretur vsucapio, siue sit partus ancillæ, siue vaccæ, aut cuiuslibet animalis furtiux, quod non abhorret à Iurisprudentiæ fontibus, quos non videtur bibisse noster, vt constat ex *l. qui vas 48. §. ancilla, D. de furtis*, ibi, *idem & in pecudibus seruandum est, & in fætu eorum quod in partu. l. 4. §. fructus 5. & in §. lana. D. de vsucap.* vbi eadem requiritur vsucapio in agris fætuque pecorum, ac in partu ancillæ. de quorum iurium explicatione egi *d. cap. 1. §. 1. ex n. 32.* & quamuis contrarium tenuerit Gaius *in d. l. in pecudum 28. D. de vsuris*. nihilominus articulus hic non ita constitit apud ipsos Iureconsultos, vt in varias sententias non sese diffundant, vt latè dicto illo capite 1. obseruauit. Ac proinde lex partitæ Vlpianum sequuta est in dictis iuribus, item & conscientiam, cuius ratio superior est *cap. fin. de prescription.* & sic si bonæ fidei possessor vaccam, aut equam, aut quid simile, furatam acceperit, si apud eum concipiat, ad fætum adquirendum necessaria erit vsucapio, quæ fuit opinio Marcelli, contra Scæuolam, vt constat ex *l. si aliena 10. §. Scæuola. D. de vsucap.* quam reiicere non potest Carrança, cùm ei verior videatur Marcelli sententia, quàm Scæuolæ, vt ipse scribit *d. cap. 2. num. 22.* & ita sit testis locuples contra producentem. Neque dissensio eorum fuit circa illum articulum de boue surrepta, quæ peperit apud furem, sed de partu ancillæ, in cuius partu vsucapiendo contentio illa maximè consistit. † Nec feliciter se gessit noster circa *d. l. 23. tit. 31. part. 3.* cui standum esse intrepidè affirmat. Nam si attentè eam legisset, aduerteret ibi non agi de vsucapiendo partu, sed de acquisitione quæ competit vsufructuario. Si videlicet vsufructuario ratione vsusfructus quærat partus ancillarum? in

qua quæstione nec vllum verbum est de ancilla furtiua, nec de eo lex somniauit. In qua re admittit communem traditionem *l. vetus 68. D. de vsufruct.* vt verba eius demonstrant. *Otro si decimos que si la sierua de quien fue se otorgado el vsufruto a otri obiese fijo o fija maguer que naciese despues en poder del vsufructuario non deben ser del, mas del señor cuya es la sierua, e esto es por que como quier que todos los frutos que nacen de las bestias ede los ganados de ben ser del vsufructuario empero en el parto de la sierua no es asi.* † Vnde tamen colligit doctissimus Carrança non esse necessariam iure partitarum vsucapionem ad partum, seu fætum animalis quærendum? & vnde infert in ea quæstione standum esse dictæ legi 23. & dictam *l. 5.* esse contra fontes Iurisprudentiæ? ita illum præcipitem egit cacoethes reiiciendi aliorum scripta. Itaque iterum atque iterum securè assero legem 23. quoad vsufructuarium retinuisse antiquam differentiam inter partus ancillarum, & fætus pecorum. Quoad vsucapionem verò, furtiuorum pecorum fætus æquali iure habitos cum partu ancillarum, *in d. l. 5.* Quid autem hic articulus cum alio habet commune? aut quomodo tam intrepidè dictam *l. 23* attendat in ea quæstione homo prouidus & diligens, non video.

Sed vt è diuerticulo in viam redeamus, superiùs à nobis adductis videretur esse contraria *d. l. exemplo. h. t.* si loqueretur de conditione matris, de qua agunt ceteræ iam relatæ. certum est etenim loqui de origine paterna, quam à patre, non verò à matre filij accipiunt. *l. eos 22. l. in filijs 35. l. nullus 44. infr. h. t. l. filios 3. infr. de municip. l. 1. tot. l. assumptio 6. §. 1. D. ad municip.* & cùm exemplo senatorij ordinis hoc procedat, ita in eis obseruari docemur *in l. liberos 10. D. de senatoribus.* Itaque filius matrem sequitur quoad statum, originem verò, quoad munera & honores, ipsum patrem, vt munera scilicet decurionatus sustineat in patris patria, non domicilio. *l. libertus 17. §. patris 11. l. eius 27. D. ad municip. l. ciues, infr. de incolis*, vbi dicam luculentius. † Ideo Patria à patre dicta, & ea

origo censetur quam per conditionem patris filius ducit. *l. vnic. C. vbi petant tutor.* Non ergo censetur patria filij ea, in qua natus est, sed vbi natus est pater, à quo totam, à matre verò nec partem ducimus, obseruat Cuiac. *lib. 1. Resp. Pap. in d. l. 17. §. patris.* qui illud Virgil. *lib. 8. Æneid. vers. 510.*

— *Mistus matre Sabella
Hinc partem patriæ traheret,*

poëtice dictum putat, quod, ante doctè & lepide

Iepidè agnouerat Sidonius *lib. 4. epist. 21.*
Ecce habes magnum maximo auctore (Virgi-
lio) documentum quòd patria pars computan-
da sit & regio materna, nisi Poetas, & cum ab
historia non recedunt, mentiri existimabis.

47 † Quare in matris origine non erit filius
 Decurio, neque si opposuerit matris origi-
 nem quæ est minor ciuitas, vt se liberaret
 à maiore, quæ est paterna, vt sic minoribus
 oneribus subiiciatur, audiri debet, etiam-
 si ad hoc obtinuerit speciale rescriptum.
 ita sunt interpretanda illa verba, *d. l. exem-*
plo. Nec valeant specialiter delata rescripta
si quis se matris origine defensa à maiori tu-
ria ad minorem transferri fortasse promeruit.
 quod, vt à me ostensum est supra *in rub.*
 & in aliis iuribus, id faciebant Decurio-
 nes, vt sese oneribus decurionatus subtra-
 herent. Ob idque solebant rescripta im-
 petrare. *nemo 11. supr. h. t. l. vnic. infr. de his*
qui à Principe vacat. & sic excusationem
habebant. notant Auendan. & alij relati à
Mastrill. lib. 1. de magistr. cap. 30. num. 101.

48 † Quæ rescripta annullantur in ea lege,
 & *in l. vacuatis 19. l. omnes 43. h. t.* ea ratio-
 ne, quia tale rescriptum est contra publi-
 cam vtilitatem. *l. nec damnosa. C. de precib.*
Imp. off. & ciuitates magistratusque prohib-
entur ea concedere in d. l. nemo, aduertit
Platea in h. l. nati. & in h. l. exemplo, num. 3.
 & dixi *in l. 1. supr. de immunit. nem. conced.*

49 † Quod tamen intelligunt DD. post Ac-
 curf. *in d. l. vacuatis. Roman. conf. 252. Alex.*
conf. 30. num. 11. lib. 5. Felin. in cap. acceden-
tes, ad fin. vers. octaua conclusio, de prescript.
 & Valençuel. *in d. l. vacuatis num. 4.* vt si
 ciuitates eam immunitatem concesserint,
 non valeant in præiudicium Principis, li-
 cèt secus in præiudicium concedentium.

50 † Vnde attenda *l. 5. tit. 9. lib. 7. Recopil.*
 quæ statuit, vt illi, qui in loco aliquo possi-
 dent bona, teneantur in eo loco ad tributa
 omnia, non verò vbi incolæ sunt, & domi-
 cilium habent, si ciuitas alicui immunita-
 tem concedat, valida erit quoad eius præ-
 iudicium, non verò Principis, ita vt si ipse
 Princeps exegerit ab illo domino prædio-
 rum tributa, vel contributiones, dominus
 à ciuitate recuperabit tributa quæ Principi
 soluerit, vt docet Accurf. *in l. ex conuentione.*
C. de pact. vbi Decius num. 9. & in l. ex
conuentione. C. sine censu, vel reliq. diximus
in l. 3. supr. de annon. & tribut. Valebit ita-
que tale pactum inter paciscentes factum,
 non verò quoad Principis, seu fisci præiudicium,
 vt constat ex generalitate *l. 2. tit.*
16. lib. 5. Recop. Idque ita procedet, si in ipsa
 conuentione ciuitatis expressum sit, & de
 propria causa & damno promittant, non

verò si simpliciter fuerit conceptum, ciui-
 tatem illam possessorem velle liberum esse
 à tributis, quia talis concessio erit inualida
 tamquam celebrata in fisci, aut Principis
 damnum, & contra legem facta. *l. non au-*
bium, C. de legib. l. iuris gentium. §. si paciscar.
D. de pact. & ita intelligi debent d. l. vacua-
tis, & similes adductæ in d. l. 3. supr. de ann.
& trib. & in d. l. 1. supr. de immunit. nem. con-
ced. Valebit tamen si Princeps eam appro-
 bauerit, vt voluit Angel. *conf. 227. Felin.*
suprà, Alex. d. conf. 30. num. 11. lib. 5. vel si
 concessio, vel immunitas facta fuit à ciuita-
 te ob bene merita, vt voluit cum pluribus,
 quos refert Tiraq. *in l. si vniquam. verb. do-*
natione largitus, num. 32. Roland. conf. 5. n. 8.
lib. 1. qui aiunt eam valere absque confir-
 matione superioris, quod tamen apud
 nos non est admittendum, vt dixi *in d. l. 1.*
de imm.

Hinc est quòd cum talia rescripta im-
 munitatem à decurionatu concedentia an-
 nullentur *in h. l. exemplo*, ea tamen vale-
 bunt quæ generaliter legibus tribuuntur,
 vt *in l. 1. infr. de vacat. publ. mun. l. 1. toto. D.*
de vacat. mun. & D. de iure immun. sicut pro-
cedit immunitas concessa Dorotheo, Iri-
næo & Doctitio in l. neque 61. l. Doctitij 63.
infr. h. t. vbi duo priuilegia conceduntur,
 vt ipsi liberentur à Curia, & vt quamuis
 essent Antiocheni, adhuc liberi remane-
 rent. † nam Antiocheni etsi paternam ori-
 ginem aliunde haberent, sequebantur ma-
 tris originem. *l. eos 22. supr. h. t.* notant *ibi-*
dem Pyrrh. & Cuiac. etsi enim regulariter
 procedat, vt maternam originem filius non
 sequatur, vt diximus, Antiochenis hoc pri-
 uilegium indultum est *in d. l. eos*, vt mater-
 na origo attendetur si mater mea, verbi
 gratia, esset Decurionis filia, ego adstrin-
 gebar decurionatui. *l. si ille 62. infr. h. t.*
 † Antiochia enim fuit Syriæ nobilissima
 vrbs à Seleucho Nicanore, ob patris An-
 tiochi memoriam, ita dicta. Orientis apex
 pulcher vocata à Marcellino *lib. 21.* Me-
 tropolis aliarum ciuitatum ab Spartiano *in*
Hadriano, & à D. Hieronymo *contra error.*
Ioannis Hierosolym. Vnde Ioannes eius Epi-
 scopus vocatur *in Concil. Chalcedon. act. 1.*
 Princeps Orientis. Theopolis etiam dicta
Concil. Constantinop. & in l. 6. §. fin. C. de
summ. Trinit. id est, Dei ciuitas. & quam-
 uis multæ eo nomine vrbes censerentur, hæc
 planè regina omnium celebrata historico-
 rum monumentis, præcipuè Ioseph. *de bell.*
Ind. lib. 3. cap. 1. Strabonis lib. 16. Procop.
de bello Pers. lib. 1. Theodoret. lib. 5. hist.
cap. 3. notant Petr. Gregor. *lib. 15. syntag.*
cap. 7. num. 2. Cuiac. lib. 8. obseru. cap. 21.
 Gothofr.

- Gothofr. *in d. l. 6. §. fin. lit. V. & in l. si ille 62. infr.* Pancirol. *lib. 2. thesaur. cap. 153. §. D. Antoninus. Buleng. lib. 2. de Imp. Rom. cap. 9. Cerda aduerfar. cap. 52. num. 7. Baron. 1. tom. annal. ann. 39. num. 10. Salmaf. ad Solin. in Polyhist. pag. 73. ad illud, Vadit super tra-*
- 54 *Etum Syria Antiochia, 2. tom. pag. 890. † Hoc priuilegium aliis etiam vrbibus cōceditur, Iliensibus videlicet, Delphicis & Ponticis, in l. 1. §. fin. D. ad municip. Dixi hoc priuilegium. nam Cuiac. in d. l. eos, censet non rectè dissimile esse priuilegium, de quo in d. §. fin. quia ibi non sit datum vt editus matre curiali, & patre non curiali, etiam maternam originem sequantur, sed vt editus utroque parente curiali matris Iliensis & Delphicæ, aut Ponticæ potiùs curiam sequantur. quod videtur sentire Gothofr. qui sæpiùs est Cuiacij clanculus suffurator, in d. §. fin. lit. P. & Cuiacio non relato sequitur Valenzuel. in d. l. eos, num. 2.*
- 55 *vers. cauebis similiter. † Sed mihi non potuit placere ea sententia. nam ineptissima esset illorum assertio, quam ibi Celsus ab Vlpiano laudatus, reiecit, qui dicebant, illud priuilegium ad solos vulgo quæsitos pertinere. Neque Celsus rectè eos improbare quòd vulgo quæsitos, cum non obtineant nisi originem maternam, quam aliam habere potuissent? Quasi diceret, de vulgo quæsitos non esse dubium, & superuacua esset de eis disputatio, ex iuribus quæ ibi adducit Accurs. schol. fin. & ex iis quæ*
- 56 *suprà in princ. animaduertimus. † Intelligit ergo Iureconsultus illud priuilegium de filio, qui patrem habuit alterius ciuitatis, & matrem Iliensem, & sic de matre curiali accipiendum est, & patre non curiali, vt in d. l. eos, vt sic idem beneficium censeatur.*
- 57 *Hinc etiam non est attendenda doctrina Bar. & Plateæ in d. l. eos, malè ex ea colligentium quòd qui non sequitur conditionem patris, sequatur conditionem matris. Nam ea lex specialiter procedit in Antiochenis, & vltra eos minimè debet attendi talis decisio, cum ea proponat ius speciale, & ius commune sit in contrarium, scilicet vt filius sequatur originem patris quoad munera publica, honores & dignitates, tutelas, familiam & agnationem. §. 1. Inst. de legit. agnat. tutel. l. familia 196. de verb. sig. vbi notant omnes, & in d. l. liberos. D. de senator. docent Celsus conf. 75. num. 6. Corneus conf. 224. num. 8. lib. 2. Decius conf. 172. num. 4. Ant. Gab. lib. 5. comm. opin. tit. de statutis num. 1. Valenzuel. sup. num. 1. & ante eos Castren. in l. 1. C. de condit. inser.*
- 58 *† Quod autem conuenientius ex d. l. eos,*
- deducere poteramus, est resolutio ad eam controuersiam, an statuto, vel consuetudine effici posset, vt filius quoad nobilitatem, matris conditionem sequatur. In qua negatiuam partem tenent Bar. Angel. Platea, Rebuff. per tex. ibi in h. l. exemplo. & relati à Tiraquell. de nobil. cap. 18. num. 22. Th. Sanch. de matr. lib. 7. disp. 24. num. 2. Aceued. in rub. tit. 2. lib. 6. Recop. num. 22. Bened. Pinell. lib. 2. select. cap. 17. Carrança de partu cap. 3. §. 3. num. 17. Verùm huiusmodi auctores & Oalora de nobil. 2. part. cap. 2. num. 7. rectiùs censuerunt consuetudine, vel priuilegio Principis effici posse, vt filius materna nobilitate insigniatur, quod ex d. l. eos h. l. nati, deducunt, & ex l. 1. §. qui ex duobus, vers. nisi fortè. D. ad municip. l. hi qui ex filiabus, infr. de murilegul. l. ex ingenuo 4. infr. de agricol. & mancip. l. mulier 16. l. vlt. infr. de agricol. & censit.*
- 59 *† Accedit quòd apud Xanthios Lyciæ populos lege cauebatur, vt à matribus filij generis nomen fortirentur, vt testatur Plutarch. de clar. mulier. cap. 9. & de Lyciis Herodot. lib. 1. de Locris. Polyb. lib. 12. hist. & ex eis notat Tiraq. sup. num. 25. & Did. Perez in l. 6. tit. 2. lib. 4. ordin. verb. que vo sea kidalgo. Sic etiam Hetrusci filio quidquid defuit à genere paterno maternum suppleuit, apud Stat. Papin. lib. 3. syluarum in lacrymis Hetrusci.*
- Si quidquid patrio cessatum est sanguine, mater reddidit.*
- & apud nos descendentes tam ex masculis, quàm ex fœminis Antonæ Garfiæ Taurinensis mulieris, gaudent priuilegiis, & exemptionibus nobilium ex priuilegio eis concessò in l. 31. cum seq. tit. 18. lib. 9. Recopil. quod explicant nostrates Oalora de nobil. 4. part. cap. 5. num. 19. vers. superest. Did. Perez, & alij relati à Pichard. de nobil. comm. num. 47. & Aceued. conf. 17. toto. Florez lib. 2. quest. cap. 21. num. 262. quod priuilegium concessum quoque erat a los de Valderas in l. 17. d. tit. 18. & Salmanticiæ mulieribus, quæ dicuntur de los linages, exemptiones quædam conceduntur, quarum meminit Perez & Pichard. sup. n. 48. Valenzuel. in d. l. eos, num. 4. videndi Auedan. in capp. prat. lib. 1. c. 8. num. 2. Aceued. in l. 9. tit. 11. lib. 2. Recop. num. 8. † Neque ea*
- 60 *quam sequimur sententia caret iuris fundamentis. nam cum talis constitutio sit iuris positiuæ, & ciuilibis, rectè poterit à Principe immutari, quia lex ciuilibis alia lege ciuili mutari potest. l. non est nouum 26. cum seq. l. de quibus 32. D. de legib. cap. non debet, vbi glos. de consang. & aff. l. 11. tit. 1. part. 1. cum*

cum obseruatis à Pichard. *sup. n. 69.* Donell. *lib. 1. comm. c. 12.* vbi etiam Ofvval. idemque de consuetudine præscripta dicendum est, cum ipsa vincat legem, *cap. fin. de consuetud. l. 2. C. qua sit longa cons.* Donell. *supr. cap. 10.* Thom. Sanch. *d. lib. 7. disp. 4. num. 4.* Morl. *in emp. tit. de legib. num. 24.*

LEX LX.

Impp. THEODOS. & VALENTIN.
AA. Thoma P.P.

Nullus, qui nexu generis curiæ tenetur obnoxius, per substitutam quamque personam curiales impleat functiones: sed ipse per se debitum patriæ munus exsoluat, etsi spectabili dignitate decoratus sit, nisi hoc speciali beneficio sit concessum. Hi verò, qui honorario titulo illustrem dignitatem consecuti sunt, per substitutos periculo suarum facultatum curiæ muneribus satisfacere non vetentur.

SUMMARIUM.

1. Decuriones non possunt deseruire per substitutos, & n. 3.
2. Ratio huius decisionis.
4. Regij Auditores, Iudices criminales, Regij fiscales, & iudices ordinarij, Inquisitores sancti Officij non possunt deseruire per substitutum, & n. 5. & 6.
7. Clausula quibus cognoscitur iniungi ministerium personale.
8. L. 6. tit. 6. lib. 3. Recopil. explicatur, & refertur antiqua & neoterica eius littera, & reijcitur Auendañi sententia, & num. 9.
10. An locumtenens correctoris possit terminos visitare, examinatur sententia Bobadilla, & reijcitur, & num. 11. 12. & 13. & explicatur l. 18. tit. 7. lib. 3. Recop. & num. 14.
15. Cui committitur facultas excommunicandi, non datur facultas vices suas alicui committendi, ad interpretationem cap. fin. §. fin. de offic. & pot. iud. deleg. & num. 16.
17. Ius eligendi alicui commissum ut eligat successorem in maioratu, aut Capellania, an sit transmissibile ad heredes. explicantur & conciliantur varia IC. responsa & Doctorum opiniones, & n. 18. 19. 20. & 21.
22. Natura maioratus est perpetua, & an facultas eligendi expiret in primo nominato, vel an transeat ad successores. & quibus coniecturis cognoscatur, an voluerit concedere electionem solum in una persona, & n. 23. 24. & 25.

De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. I.

26. Proponuntur limitationes ad nostram legem, quibus constat officialem posse substituere suo loco alium, & num. 27. 28. 29. 30. & 31.
32. Qui illustrem dignitatem sunt consecuti, possunt curiæ deseruire per substitutum, & referuntur dignitates illustres ad interpretationem nostra legis, ibi, Hi verò, & n. 33. 34. & 35.
36. In casibus vbi substitutus poni potest, talis substitutus debet habere easdē qualitates, quas habebat substituēs, & n. 37.
38. Substitutus legitimè constitutus, gaudet omnibus priuilegijs substituentis.
39. Substitutus in casu absentia datus censetur in casu mortis, & n. 42.
40. Episcopo absente in longinquis, Capitulum debet administrare, si Vicarius moriatur, vel per regiam potentiam è regno eijciatur, refertur questio de facto, & num. 41.
43. An substituens teneatur de excessibus & delictis substituti, & de ratione, & num. 44.
45. Refertur casus in quo Episcopus multatur ob inobedientiam sui Vicarij prouisionibus Cancellaria, cum ipse Vicarius bona non haberet.
46. Si Rex & Regia tribunalia non haberent extraiudicialem multam, inutilis esset cognitio per viam violentia, agitūque remissiue de multis Clericorum à seculari iudice faciendis.
47. Substituens non tenetur de delictis substituti quando non voluntariè, sed ex necessitate, vel ex mandato superioris substituit.
48. Ea que fiunt ex necessitate, non comprehenduntur in generali legis dispositione.
49. Substituens non tenetur de excessu substituti quādo adhibuit debitā diligentia.
50. Castellanus, aut arcis prefectus, quatenus de delicto substituti teneatur, explicatur latissimè, & num. seqq.
51. An iure nostro septempartito in arcis prefecto nequiratur nobilitas sanguinis, examinatur.
52. Verbum debet inducit precisam necessitatem, substantiam & essentiam.
53. Referuntur DD. qui tenent nobilem esse & censeri arcis prefectum, ex eo quod sit Alcaidius.
54. Castellanus potest substituere in castelli tutelam hominem nobilem absque metu prodicionis, expenditurque l. 7. tit. 18. p. 2. & num. 55.
56. Decuriones qui fideiussores approbarunt qui illo tempore erant idonei, non tenentur de inopia superuenienti.

M m

57. Defen

57. *Defenditur legem partitæ 6. tit. 18. p. 2. non requirere præcisè ut Castellanus sit nobilis, & expenduntur in proposito aliqua leges Recopil. aperiturque tota series illius l. 6. & n. 58. 59. 60.*

61. *Expenduntur pro hac parte alia leges partitarum, & obiter de Aquilifero Regis, seu Capitaneo generali agitur, & de eius qualitatibus, & 62.*

63. *Quare l. 7. tit. 18. p. 2. requirat in substituto Castellani, ut sit nobilis, & n. 64.*

65. *Factum Regis Alphonsi XI. refertur.*

66. *Alcaldia non inducit præcisam nobilitatis probationem, sed tantum inducit præsumptionem, contra quam probatio locum habet.*

67. *An debeat dari Pragmatica Regis Henrici contra Equitem militaris Ordinis, si casu ab aliquo deferatur contendens esse plebeium.*

7 **C**VM Decurionum officium, ut superioribus animaduertimus, personalem occupationem haberet, ut neque rus habitare eis liceret, *toto tit. infr. si curialis relicta ciuit.* neque quomodolibet curiam derelinquere, sed ei erant veluti mancipati & adscripti, ita ut si aliquam adepti essent dignitatem, post eam depositam ad curiam redire tenebantur. *l. neminem 64. infr. h. t.* cum adductis à P. Greg. *lib. 18. syntag. c. 14. n. 7.* Inductum est etiam hac constitutione ita Decuriones personaliter adistere debere, ut nec per substitutum potuissent deseruire. Quod & in aliis officialibus & administris statutum legimus, *Novell. 134.* quæ est *Auth. ut nulli iudicum, in princ. Nouell. 128.* quæ est *Auth. de collatorib. §. ad hac prohibemus. Nouell. 17. seu Auth. de mandat. Principum, §. eos autem. Nouell. 8. seu Auth. ut iudices sine quoquo suffrag. §. nulli quoque.* & iure nostro cauetur *l. 18. tit. 4. part. 3. l. 18. tit. 3. l. 6. tit. 5. l. 1. & 4. tit. 9. lib. 3. Recop. l. 6. tit. 2. lib. 7. Recop. explicat ibid. Aceued. Auendan. in capp. prat. 1. part. cap. 3. num. 5. Bobadill. lib. 2. polit. cap. 20. num. 34. Menoch. de præsumt. lib. 2. præf. 21. tot. Mastrill. de magistr. lib. 1. cap. 29. toto. Giurb. conf. 36. ex n. 1. & Fuluius Constant. post Plaream hîc.*

2 † Ratio est in promptu, quoniam in officiis quæ habent administrationem annexam, vel quando certum ministerium alicui committitur, tunc censetur electa industria personæ, ex vulgari *l. inter artifices 31. D. de solutio. c. fin. §. is autem, cum seq. de offic. & post iud. deleg.* quæ non potest suppleri per substitutum. *l. vn. §. ne autem 9. vers. sin. verò talis. C. de caducis. cap. is cui 12. de offic. deleg. lib. 6. & ita in officiis & dignitatibus substi-*

tutio prohibita est. Bar. per tex. *ibi in l. 1. infr. de Præpos. agent. in reb. n. 3. & 4.* ubi eius additio *lit. C. Bal. in l. quisquis. C. de Episc. & Cler. Paris de Puteo de syndic. verb. substitutus n. 3. & Constant. hîc n. 15. †* Quapropter 3 Decuriones ministerium suum per alium expedire non possunt, ut in præsentibus docent Alex. in *l. more n. 45. D. de iurisdict. P. Greg. sup. c. 14. n. 7. Bobadill. lib. 3. c. 8. n. 129. & expressè prohibetur in l. 18. tit. 3. lib. 7. Recop.* Nam etsi citaretur Decurio dum impeditus, vel absens est, non poterit loco sui aliū substituere, licet posset alicui ex Decurionibus committere votum suum, seu vocem, notat Aceued. in *l. 1. n. 16. & in l. 4. n. 5. tit. 9. lib. 3. Recop.* quidquid velit Did. Perez in *l. 1. tit. 5. lib. 3. ord. †* Similiter & Regij 4 auditores & iudices criminum, qui vulgo *Alcaldes de corte* vocantur, non possunt deseruire per substitutum, ex *l. 49. tit. 5. lib. 2. Recop.* quæ licet solum loquatur quando aliquis ex Alcaldibus se absentat, ut tunc ex Auditorum corpore locus repleatur, & non possit substitutum derelinquere, idem in Auditoribus admittendum est, ut illa ratio quæ in principio proponitur (*Porque de se nonbrar sustituto en lugar del Alcalde que va fuera se an seguido algunos inconuenientes.*) non minus militat in his, quam in aliis, præcipuè, cum ea lex sit proposita sub titulo *de los Presidente y oydores. †* Item 5 etiam & regij fiscales prohibentur constituere substitutum, ex *l. 1. tit. 13. lib. 2. Recop.* Sed limitatur in *l. 2. eod.* ut possint in casu absentia, & ita in praxi obtinuisse, cum eo munere fungeretur, docet Alfaro *de offic. fisc. glos. 28. num. 2.* licet communiter in absentia fiscalium substituere soleant Præsides cum consensu Auditorum, & talis nominatus non vitur omnibus priuilegiis fiscalis proprietarij, sed aliis minoribus, scilicet ut sedeat in banco Aduocatorum ante omnes etiam antiquiores, & ne discedat operiat caput cum loquitur, nisi quando veniam petit ad loquendum, non autem sedet cum Auditoribus, neque cum eis concurrat, & ita Granatæ practicum audiui, & Pintia vidi fieri. Neque *d. l. 2.* correctæ est ex diplomate regio, quod exaratum est in ordinationibus Cancellaria Granatensis, post Indicem ante constitutiones Visitationis Episcopi Zamorensis, ubi statuitur quod si fiscales ambo obierint, vel ad alium locum assumantur, non possint alij nominari à Curia Auditorum, sed statim Regi denuntietur, ut de eis Audientia prouideat. Quoniam non excluditur ut dum Princeps prouidet, nominetur aliquis qui res fiscales pertractet, &

& ita practicatur, vt si absens sit fiscalis, vel mortuus, alter & munera ciuilia & criminalia peragat: si verò ambo fiscales absentes, aut mortui sint, interim dum Rex prouidet, vel absens est, fiscalis solet designari vnus ex grauioribus Ad-uocatis, qui nomine officij fiscalis com-paret in iudicio, & lites fiscales pertra-
6 ctat. † Item etiam & alij iudices ordina-rij substitutum constituere prohibentur, d. l. 6. tit. 5. lib. 3. Recop. quia interest Regis vt officia personalia, & quæ maximam in se continent qualitatem, & confidentiam, exerceantur per personas electas ab eo, & in quibus eligendis cura Principis animaduerritur, l. 10. tit. 5. lib. 3. Recop. docet Guurb. d. conf. 36. n. 3. in fin. Eodem modo prohibentur Inquisitores sancti Officij, Mastrill. d. lib. 1. cap. 29. num. 18. & Tabela-
liones in l. 6. tit. 2. & l. 18. & 19. tit. 3. lib. 7. Rec. notat Auendan. d. 1. p. cap. 3. n. 5.

7 Hæc omnia & similia vt locum habeant, necesse est vt ad verba, quibus ministeriū, vel officium conceditur, attendatur, ex quibus præsumatur fuisse electam propriā industriam personæ. Veluti si dicatur, vt de te confidimus, de te speramus, ea clausula videtur electa industria personæ, ita docent Auendan. de exeq. d. 1. p. cap. 3. num. 5. vers. corrector. & Aceued. in l. 6. tit. 5. lib. 3. Recop. n. 3. & 4. Similes sunt alia dictiones, pro te, manu tua, videas personaliter, tua discre-
tioni committimus, tua conscientia. l. 2. sup. de condit. in publ. hor. vbi dixi, l. si irruptione 8. in fin. D. fin. regund. l. fideicommissum 11. S. fin. de legat. 3. l. si communis 37. D. de stipul. seru. cum traditis ibi à DD. & Greg. in l. 47. tit. 18. part. 3. glos. 8. Auiles cap. 4. verb. iusticia, & cap. 6. verb. salario, & verb. visite. Bobadill. lib. 2. cap. 20. num. 34. & seq. & num. 43. & lib. 5. c. 10. n. 14. Menoch. lib. 2. præsum. 21. num. 6. 7. & 13. Riccius in prax. fori Eccles. decis. 617. & Fulu. Constant. in
8 præsent. n. 24. † Exemplum sit prout apud nos visitatio villarum & terminorum personaliter iniungitur correctoribus, ita vt per substitutum id facere nequeant, vt docemur ex l. 6. tit. 6. lib. 3. Recop. illis verbis, e a si mismo visite las villas que estubieren a su cargo en persona. quam ita accepit Auendan. sup. cap. 4. num. 33. vers. Redeundo, vt non possit fieri per vicem gerentem correctoris. quæ sententia indiget medicamento. Nam d. l. 6. ita olim concipiebatur. visite las villas que estubieren a su cargo en persona vna vez al año y se informe como son regidas. Postea in noua Recopila-
tione addita est alia clausula, vbi ita nunc legitur, vt post illa verba, en persona vna

De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. 1.

vez al año, sequitur nunc por si o por sus tenientes y no por alguaciles & postea adiicitur, y se informen. † Ex quibus constat at-
9 tenta ea littera non posse sustineri Auenda-
ni sententia d. n. 33. vers. ex quo inferitur. qui ait visitationem non posse exerceri per vicem gerentem. Nam etsi ea verba iam interposita non essent, adhuc tamen locumtenens possit, nam eandem iurisdictionem habet ac corrector, ex iis quæ adduxi in l. 2. sup. de cond. in publ. hor. & ita tenet Auiles d. verb. salario num. 5. & verb. visite, & verb. en persona. & Bobadill. lib. 5. cap. 10. num. 14. & 15. & lib. 1. cap. 16. n. 11. & 44. † Licet ipse, quoad terminorum vi-
10 sitationem attinet, cum Auendaño d. cap. 4. num. 34. vers. qua supra, affirmat non posse fieri per locumtenentem. Atque ita differentiam constituunt inter visitationem terminorum, & villarum, seu oppidorum suæ iurisdictionis, ita vt locumtenens possit visitare villas, non verò terminos, & ita in praxi obseruari affirmat. † Quæ sententia mihi suspecta videtur, licet
11 in rebus practicis eius viri auctoritas & iudicium apud me plurimum valeat. Nam in d. l. 6. non specificatur ea differentia, imò cum in vers. e a si mismo, visiten-
dicatur vt corrector terminos visite absque salario, & in vers. e a si mismo visiten las villas, adiiciatur vt personaliter visitent loca, seu villas iurisdictionis, etiam si non esset apposita sequens clausula, por si o por sus tenientes. videretur dicendum plus inspectionis personalis requisuisse legem illam in visitatione villarum, quàm in visitatione limitum, terminorum, aut finium. Sed visitatio villarum & oppidorum sufficit fieri per locumtenentem, vbi expressè requiritur personalis inspectio. Ergo multo magis idem admittendum in terminorum visitatione, vbi ea specialitas non ita exoptulatur, imò eo magis debuit adhiberi personalior inspectio in villis, quàm terminis, quanto principalior est hominum, quàm terminorum dignitas, argumento l. in pecudum 28. D. de usuris. l. iustissime 44. de adilit. edict. cum à me adductis lib. 3. obseru. cap. 1. §. 1. num. 3. & seq. † Siquidem in terminis so-
12 lùm animaduertitur, an sint occupati contra tenorem sententiarum, an sint bene dispositi, an moti. At in villis attenditur regimen earum, & administratio iustitiæ, & ita maior cura incumbit in hoc, quàm in illo casu, & vbi maius vertitur periculum, eo consultius erit agendum. cap. vbi periculum. de elect. lib. 6. l. addictos, C. de appell. cum vulg. & quamuis de re ad per-
sonam

M m 2 sonam

sonam validum sit argumentum, ex traditis à Barbof. *de locis comm. loco* 83. & 95. id limitatur quando militat diuersa ratio, vt in nostra specie, ex Menoch. *conf.* 106. n. 186. Atque ita correctoris persona debebat interuenire in visitatione villarum, & tamen sufficit si per locumtenentem id fiat, † Rursus pro ea parte facit *l. 16. tit. 5. lib. 3. Recop.* vbi limitum, seu terminorum assignatione constringuntur pari cura correctores & iudices; sed nomine iudicum locumtenentes comprehendi, nemo est qui possit negare, cum verba legis ita sunt clara. *los corregidores y jueces de las ciudades y villas.* Præterquam quòd certum est locumtenentes habere eandem iurisdictionem cum correctore, & quidem ordinariam, vt ex Aceuedo & Morla probauimus supra *in d. l. 2. de conditis in publ. horr.* & ita hanc sententiam (licet his nouis fundamentis non firmauerit) approbat Aceued. *in d. l. 16. tit. 5. num. 3.*

† A qua non dimouebit nos *l. 18. tit. 7. lib. 3. Rec.* vbi statuitur, vt in syndicatu animaduertatur, an corrector visitauerit cōfinia, & limites suæ iurisdictionis, vt probant illa verba, *y sepan si se an visitado los terminos por el Corregidor segun que le fue mandado.* quæ pro sua sententia expedit Bobadill. *sup. n. 15. & 16.* Sed respondendum est, illa verba, *segun que le fue mandado*, referenda esse ad *d. l. 6. tit. 6. lib. 3. Rec.* vbi cum, vt diximus, etiam locumtenens possit visitare terminos & cōfinia, & referatur illa lex ad illam, dicendum est in illis verbis, *por el corregidor* accipi debere iuxta id quod communiter & frequentius contingit, non autem vt excludat visitationem factam à locumtenente, cuius cum correctore censetur idem tribunal, & eadem iurisdictionis. Vnde deduco quòd si termini fuerint visitati à locumtenente, & in syndicatu opponatur contra correctorem quòd ipse non reuiderit terminos, si tamen à suo locumtenente fuerit visitatio facta, liber euadet corrector, & iudex syndicatus iniquè faciet si contra eum sententiam tulerit.

§ 5 Secundum exemplum sit, in eo cui commissæ est excommunicandi, vel absoluendi facultas, vt *in c. fin. § fin. extra de offic. & potest. iud. deleg.* vbi cui commissæ est excommunicandi, vel absoluendi facultas, non potest aliis suas vices committere. Rationem annectit Pontifex, *quia non sibi iurisdictionis, sed certum ministerium committitur.* quod tamen non sine difficultate procedit, quia facultas excommunicandi est actus iurisdictionalis, qui habet causæ cognitionem annexam, ob quam excommunicatio ferri debeat. *cap. dilecta 12. de maior. & obed.* vbi

etiam notauit glosa *verb. iurisdictioni. c. fin. de excess. pralat. cap. sacro 48. de sentent. excom.* docent Panorm. & alij relati à Salgad. *de regia proiect. 4. p. cap. 11. n. 58. & 59.* hanc difficultatem tetigerunt plures ex Canonistis *ibidem*, & *in cap. cum Bertoldus, de re iud. & in Clem. vn. de offic. deleg.* Nauarr. *in cap. placuit n. 72. de penit. dist. 6.* Couar. *lib. 3. var. cap. fin. n. 4.* qui in illam rationem inclinant, quòd videatur *in d. § fin.* electa industria personæ ex sola commissione nudi ministerij, quale est excommunicare. quibus etiam assentit Fulu. Constant. *hic n. 30.* † Ab eis tamen meritò recessit Ioannes Ibañez de Frechilla, olim Doctor Primarius sacrorum Canonum in Salmanticensi Academia, *in tract. de excommunicat. 2. p. art. 1. n. 3.* quia non eam rationem reddat Pontifex, sed aliam longè contrariam, scilicet quòd nudum ministerium commissum sit. Quapropter ex eius doctissimi Antecessoris mente existimo dicendum differre multum, an committatur alicui iurisdictionis, an tantum iurisdictionis executio. Nam executio iurisdictionis est dumtaxat ministerium nudum, sine cognitione, quod consistit in facto, estque merus executor ille, cui committitur. *l. executorem, c. de excep. rei iudicat. cap. pastoralis 28. §. quia verò, de offic. deleg.* latissimè probat Salgado *sup. d. 4. p. c. 3. n. 2. & 11. & c. 7. n. 16. & seq.* Cum enim præmissa sit causæ cognitio, & iam de re sit discussum, solum iniungetur alicui vt excommunicet, id est, exequi faciat sententiam iam latā, vel vt absoluat, quod est merum factum, vt eleganter docet Bobadill. *lib. 2. c. 20. n. 45.* & Salgad. *sup.* & sic inseparabile à sua persona, *l. cum patronus 28. in fi. D. de leg. 2. l. non solum 8. §. tale, vers. quoties, de liber. legat.* & ideo alteri demandari non potest, cum demandatio sit actus iurisdictionalis. *l. 1. D. de officio eius*, & iurisdictionem nullam habeat commissarius, sed merum ministerium, *d. §. fin.* & cum sit delegatus, & vicem gerat mandantis, ex traditis à Salgado *d. cap. 3. n. 13.* non poterit subdelegare, *l. fin. D. de officio eius. l. more, de iurisdictione.* cum latè adductis ab Aceued. *in rub. tit. 9. lib. 3. Recop. ex n. 4.* Morl. *in emp. tit. 2. quest. 10. tota.*

Tertium exemplum sit si testator, v. g. 17 in fundatione alicuius maioratus, aut Capellanix alicui iniunxisset, vt ipse eligat successorem, (non absolute hoc iniungens, sed proprio nomine) *que Titio nombre o elija el que vbiere de suceder.* hoc casu facultas eligendi limitata est, & restricta ad personam illam primi designati, cui nominatim fuit electio concessa, ita vt ad alios eius successores

cessores ius nominandi, vel eligendi non fit
 18 transmissibile, sed extinguitur cum ipsa
 persona. † de hac quæstione plures vidi
 agitatae lites tum in hac, tum in Granaten-
 si curia, & controuersia maxima est. nam
 non solum DD, sed etiam Iureconfulti va-
 rij sunt, vt videmus in *l. cum quis 55. l. si sti-
 pulatus 76. l. fin. in princ. D. de verb. obl. l. si
 sic legatum 75. §. fin. D. de legat. 1. l. cum qui-
 dam 24. l. vnum ex familia 67. §. sed & si,
 vers. Rogo. l. cum pater 77. §. hereditatem,
 D. de legat. 2. l. illud 19. D. de optione leg. l. non
 solum 8. §. tale, vers. quoties, D. de liberat. leg.
 l. ex facto 17. §. si quis rogatus 6. D. ad SC.
 Trebellian. & in scriptis, à Bar. Iaf. & aliis
 in *d. l. si ita 76. Donell. lib. 15. comm. cap. 2.
 vbi Osvald. Duaren. in l. 10. D. de leg. 1. Cui-
 ac. lib. 18. quest. Paul. in d. l. 76. A. Gomez
 tom. 2. var. cap. 11. num. 41. Florez in addit.
 ad Gamam decis. 18. & cum Molin. lib. 2. de
 primog. cap. 4. num. 62. vbi Addition. Ace-
 ued. in l. 5. tit. 4. lib. 5. Recop. num. 17. Fonta-
 nell. Cancer. & aliis Castillo lib. 6. cap.
 183. num. 8. & omnium elegantissimè &
 eruditissimè noster D. Ioannes Larrea de-
 cis. Granat. disp. 31. tota.**

19 Verùm huiusmodi opiniones iuris au-
 ctorum & interpretum eo distinctionis fœ-
 dere conciliandæ sunt. Nam aut facultas
 eligendi ad aliquem pertinet ex iure pro-
 prio quoad suam vtilitatem, commodum,
 aut interesse ratione rei relictae, vel stipula-
 tæ, & ille debet eligere ex causa antecede-
 ãti, & præambula, veluti si Titio domum,
 aut fundum, Stichum, aut Pamphilum do,
 lego. Vel si stipulatus sum illud, aut illud
 quod ego maluero. Vel aut ius eligendi ali-
 cui datum est ratione arbitrij, considera-
 tionis, dilectionis, vt talis eligat, vel nomi-
 net aliquam personam, quæ habeat talem
 prærogatiuam, qualitatem, vel quæ debeat
 succedere in aliquibus bonis, maioratu,
 20 aut capellania. † Primo casu, si Titius dum
 vivit non elegit res illas ex adductis in le-
 gato, vel stipulatione, tunc electio ad here-
 des transit, vel successores, quia virtute
 stipulationis, vel legati alternatiui, in quo
 res comprehendebantur, illud, aut illud, iam
 ante electionem erat acquisita obligatio
 vnius rei ex illis, & radicata in persona il-
 lius, cui promissum fuerat, vel legatum,
 & solum restabat executio ex actuali ele-
 ctione ad eam capiendam. & cum hic actus
 eligendi nullam inducit obligationem, non
 censetur noua dispositio, sed tantum acces-
 soria appendix, aut sequela prioris obliga-
 tionis iam quæsitæ, quæ cum in heredem
 transeat, iuxta propriam suam naturam,
 cum sit principale, eodem modo debet
De Amaya in tres libb. post. Cod. Tom. 1.

transire accessorium, ex vulgari regula
 quod accessorium sequitur naturam sui
 principalis. quam sententiam ante omnes
 videtur tenuisse Cuman. in *d. l. si stipulatus
 n. 3. & Cuiac. d. lib. 18. quest. Paul. ibidem,
 contra Bar. Castren. & Donell. ibi n. 4. & d.
 lib. 15. com. c. 2. vers. electioni, vbi Osvald.
 lit. D. quem tacitè suggillat Cuiac. veriùs
 probans transire electionem in heredem,
 non directò, sed per quandam consequen-
 tiam, cum obligatio in heredem transeat,
 quia illa est pura, cuius scilicet dies statim
 cedit, sed moram recipit ex optione stipu-
 latoris, aut heredis. l. illud 19. D. de optione
 legat. d. l. si stipulatus, d. l. si sic legatum. §. fin.
 D. de leg. 1. notarunt etiam Duar. post Al-
 ber. & Iafon. in *d. l. si stipulatus.**

21 Contrà verò est, quando ius eligendi ali-
 cui conceditur, vt ipse arbitretur, confide-
 ret, videat, eligatve aliquem qui succedat
 in aliquibus bonis maioratu, aut Capella-
 nia. quo in casu cum totum hoc factum cõ-
 sistat in dispositione, industria, arbitrio &
 iudicio illius, cui committitur, & non in
 sui, sed in alterius vtilitatem tendat, in fa-
 uoremque electi tertij, tunc electio perso-
 nalis & limitata consideratur, & ad here-
 dem, vel successorem non transit, sed morte
 electoris extinguitur, cum non habeat ali-
 quam dependentiam, aut connexitatem,
 cum iure aliquo, vel obligatione, cuius vir-
 tute transeat ad heredem, sed industria il-
 lius tantum electa videatur, & sic ita per-
 sonalis est, vt non possit transmitti. *d. l. cum
 quidam 24. D. de leg. 2. d. l. vnam ex familia.
 §. sed et si, vers. rogo. & docent supra laudati.
 † Neque oberit in contrarium quod cum 22
 maioratus natura inducat semper perpetu-
 itatem, l. 2. tit. 15. p. 2. vbi Greg. Couar.
 lib. 3. var. c. 5. n. 6. Molin. de primog. lib. 1. c. 3.
 à n. 1. & alios referens Paz de Tenu. 1. tom.
 c. 34. n. 88. & Castillo lib. 2. contr. cap. 22. à
 n. 2. Si facultas eligendi data sit, quamuis
 in prima persona, seu primo successore,
 fuisset limitata, & temporalis, cum sit ae-
 cessoria, maioratus debet eius qualitates
 assumere, atque ita effici perpetua, & ad
 successores transire. glos. in cap. 1. extr. ne
 sede vacan. verb. vniendo, docet cum aliis
 Castillo tom. 5. contr. cap. 87. num. 25. Nam
 respondendum est eo ipso quod maiora-
 tus sit perpetuus & transmissibilis ad omnes
 de familia, vt vsque ad millesimum gra-
 dum durare possit successio, ex Couar. d.
 cap. 5. num. 4. Molin. d. cap. 3. num. 14. Ca-
 still. lib. 3. contr. cap. 19. num. 142. non indi-
 get ad suam perpetuitatem qualitate illa
 electionis, nec ex ea efficietur magis perpe-
 tuus, nec maiores vires accipit. † Ratio est, 23*

M m 3 quia

quia etsi maioratus sit electivus, & possessor sine electione decedit, nihilominus perpetuitas conseruatur, & in eo succedunt qui sunt ex nomine & familia fundatoris. *d. l. vnum ex fam. vers. rogo. d. l. cum quidam.* & propter subiectam materiam defertur successio ei, qui fuerit ex potiori & meliori linea, vt tenent Tiraq. *de iure primog. q. 65. tot. Greg. in d. l. 2. partita, verb. en España.* Molin. *sup. lib. 2. c. 4. n. 42.* alter Molin. *de maiorat. disp. 593. n. 6.* Mieres *de maiorat. 1. p. q. 48. n. 49. & 94.* Castell. *lib. 2. contr. cap. 22. num. 3.* Præterquam quod facultas eligendi non potest causare maius priuilegium, vel potestatem, vt elector possit eligere eum, qui non est de familia, vt succedat in maioratu, ita argumento *d. l. vnum ex familia, in princ. & §. 1. de leg. 2.* considerant Socin. *conf. 251. n. 1. vol. 2.* Paris. *conf. 44. n. 20.* & alij apud Castell. *d. c. 87. n. 34.* quod habet locum, etiamsi ampla & generalis data sit eligendi facultas. nam debet restringi ad familiam, cum semper præsumatur ita voluisse testatorem. Tiraq. *sup. q. 61.* Greg. *in l. 6. tit. 11. p. 5.* Molin. *d. c. 4. n. 13.* Aluarad. *de coniect. ment. test. lib. 2. c. 1. §. 1. n. 26.* Cabed. *decis. 133. p. 1. n. 1.* † Sed quoniam ius eligendi concessum dependet à voluntate testatoris, cuius dispositio regit omnia in testamento disposita, ex *l. in conditionibus, cū vulg. D. de condit. & dem. l. 40. Taur.* ibi, *saluo si otra cosa.* Pacian. *conf. 63. n. 52.* in terminis Mieres *sup. 2. p. q. 6. n. 278.* Gabr. Pereyra *decis. 21. ex n. 4.* Gama *decis. 206. num. 9. & 14.* Cabed. *decis. 143. n. 1. p. 1.* Castillo *d. cap. 87. n. 22.* qui omnes tenent voluntatis esse quæstionem, an ad successores illam facultatem extendere voluerit, & sic attendenda erunt verba, quibus electionem concedit. Nam si non absolutè eam dederit, sed proprio nomine, Titio, verbi gratia, concessit, vt ipse eligat, tunc limitata videtur electio ad illum, & eius industria electa, non ad alios transmissibilis, ex iis quæ pro ratione nostræ legis adduximus *l. vnic. §. fin. autem, C. de caduc. toll. l. qua conditio 36. D. de condit. & dem. cap. quoniam Abbas, de officio delegat. cum latè congestis à Fusario de substit. q. 458. n. 4.* Castillo *lib. 3. contr. c. 15. n. 42.* † Vel vt nominet eum, qui melioribus moribus imbutus sit, qui sit virtuosior, doctior, sapientior, senior, hoc enim casu ius electionis est personalissimum, & ad alios non transit. *l. si quis arbitrato 43. D. de verb. obl. l. in compromissis 45. D. de recept. arbitr. Gama decis. 18. Ant. Gom. in l. 19. Taur. n. 2. per tex. ibi. & Molin. d. lib. 2. cap. 4. n. 26.* & videndi sunt auctores laudati, si casus occurrat, & de similibus Hermosill.

in l. 7. tit. 4. part. 5. glos. 6. n. 8. & seqq. & D. Larrea d. disp. 31.

Quæ huc vsque dicta sunt, vt ille, cuius persona electa est, non possit alium substituere, ita explicat Constant. *hic n. 14.* vt intelligantur de plenaria & generali substitutione, si videlicet officialis vellet in officio, & sic in generalitate causarum substituere, hoc enim casu ei non licebit, ex rationibus iam suprâ adductis, & quia in generali negotiorum commissione ob rei magnitudinem videtur electa industria personæ. At verò nõ impediatur Commissarius, vt ita dicam, particulare aliquod negotium substituere, prout in Procuratore generali, qui in omnibus negotiis sibi commissis potest substituere, vt docet Salicet. & Alex. *in l. quod quis, num. 6. C. de Procurat. & DD. in d. c. fin. §. fin. de offic. deleg. †* Quod tamen nõ habet locum in delegato à Principe ad vnum tantum negotium, qui non potest substituere, nec delegare. Bobadill. *lib. 2. cap. 20. num. 43. in fin.*

Secundò licita erit substitutio, quando commissio data est illa formula, *A vos el nuestro corregidor o a vuestro lugar teniente,* non expressis nominibus propriis, sed tantum dignitatis. nam tunc procedit regula illa, posse quem facere per alium quod potest facere per seipsum, ita vt alium locum tenentem ad id creare possit, quia non tam electa est industria personæ, quàm effectus rei gerendæ, vt rectè docent Bobadill. *d. cap. 20. num. 37. & seq. Auendan. de exec. lib. 1. cap. 3. n. 5. vers. corrector. †* Rursus substitutio admittitur, quando officialis habet à lege, seu Principe substituendi facultatem, vt *in cap. 4. de los corregidores,* quæ est *l. 4. tit. 6. lib. 3. Recop.* vbi notarunt Aui- les *verb. iusticia num. 1. & Aceued. n. 1. & in l. 4. tit. 9. lib. 3. Rec. n. 1.* quod eleganter probatur *in l. 10. tit. 5. lib. 3. eiusdem Recop.* ibi, *e mandamos que quando fueren proveidos de los tales officios, se les mande y encargue que tomen y tengan con sigo tenientes letrados. †* Idem admissum est si officialis regij, seruitij causa abfuerit, *Auth. de Collator. §. ad hæc.* vel si infirmitate detineatur *d. l. 4. tit. 9.* ibi, *no pongan otros substitutos en su lugar que juzguen si no fueren dolientes o flacos de guisa que no puedan juzgar, o si fueren por nuestro mandado, &c. & in l. 18. tit. 3. lib. 7. Rec.* statuitur, vt in decurionatibus & aliis officiis nullus audeat alium suo loco substituere sine licentia expressa Regis. Obseruant Aceued. *in d. l. 4. tit. 9. lib. 3. Recopil. Mastrill. de magist. lib. 1. cap. 29. num. 25. & lib. 5. cap. 6. num. 165.* Giurb. *d. conf. 36. num. 9. & seqq.* Idque ortum videtur